STVDIA

DE

DIONYSIIS ATTICIS

SCRIPSIT

MARTIN P:N NILSSON

LVNDÆ MDCCCC
APUD HIALMARVM MÖLLER, BIBLIOPOLAM VNIVERSITATIS

STVDIA

DE

DIONYSIIS ATTICIS

SCRIPSIT

MARTIN P:N NILSSON

PHIL. LIC. CHRIST.

COMMENTATIO ACADEMICA, QVAM VENIA AMPLISSIMI ORDINIS
PHILOSOPHORVM LVNDENSIS PRO GRADV PHILOSOPHICO
PVBLICE DEFENDET AVCTOR IN AVDITORIO VIII.
A. D. VII. KAL. IVNIAS MDCCCC H. P. M. S.



LVNDÆ MDCCCC
APUD HIALMARVM MÖLLER, BIBLIOPOLAM VNIVERSITATIS.

LVNDÆ MDCCCC, TYPIS IMPRESSIT E. MALMSTRÖM.

Conspectus argumenti.

pag.

Præfatio I

De Lenæone mense 1

De loco Hesiodeo 1

De fastis boeoticis 6

De scholiis ad Hes. op. et dies u. 504 15

De fastis ionicis. 25

Tempusne festi nomenque mensis mutata sint, quæritur. 30

Cetera de temporibus Dionysiorum testimonia tractantur. . 38

Utrum Lenæa cum Anthesteriis coniungere liceat necne, quæritur 38

De testimoniis, quæ ad Lenæa et Anthesteria seiungenda adhibentur 38

De testimoniis, quæ ad Lenæa et Anthesteria coniungenda adhibentur 48

Utrum Dionysia agrestia cum Anthesteriis coniungere liceat necne, quæritur 68

Utrum Dionysia agrestia cum Lenæis coniungere liceat necne, quæritur 77

De natura atque origine feriarum Bacchi 84

Quæ ratio inter Dionysia et uindemiam intercedat, quæritur 85

De Dionysiis agrestibus 90

De Lenæis 109

De Anthesteriis 115

De Choibus 117

De Chytris 130

Testimonia 139

Index. Addenda et corrigenda.

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/stvdiadedionysii00nils

Præfatio.

Si quis Dionysia attica sibi ad tractandum proponit, de magnis haud multa uerba facienda sunt, nisi ludis scænicis operam dat; ad eos enim totum festum se refert, et, si qui alii fuerint ritus antiquitus traditi, præ studio fabularum oblitterati sunt; quin, multi uiri docti has ferias non ita ueteres, sed admodum recenti ætate constitutas esse censent. quamobrem ego, qui uestigia opinionum antiquissimarum imprimis persequor, Dionysiis magnis omissis in cetera inquiram, in quibus multo plures reliquiæ antiquitatis remanserunt. sed antequam hoc fieri potest, necesse est statuere, quot fuerint Dionysia; de ea enim re longa et acerrima fuit lis. quamobrem si quis argumenta denuo examinat, periculum est, ne trita ac nota sola proferre uideatur, quod ea, quæ antehac scripta et dicta sunt, semper respicere et de iis iudicium ferre necesse est. nisus tamen sum pro uiribus, ut ueterem Boeckhii sententiam, de qua nunc multi sine iusta causa dubitant, contra obtrectatores tuerer. quod utinam mihi contingat! uiri docti XVII. et XVIII. sæculorum de eo ambigebant, utrum Lenæa cum Dionysiis agrestibus an cum Anthesteriis coniungenda essent, donec Lenæa ferias sui iuris fuisse mense Gamelione celebratas ingenii acumine maximo demonstrauit *Augustus Boeckh* in commentatione clarissima, quæ inscribitur *Vom Unterschiede der Attischen Lenäen, Anthesterien und ländlichen Dionysien*, anno XVII. nostri sæculi lecta in academia scientiarum Berolinensi *(op. min. uol. V, p. 65 sqq.,* cuius

paginas affero. is inuestigationi priorum finem imposuit, ut eos uiros, *Scaligerum Seldenum Ruhnkenium* aliosque, respicere opus non sit. qui quæ censuerint, cognosci potest e conspectu lucidissimo, a quo Boeckh opiniones eorum exponens disquisitionis suæ cepit initium. tanta erat auctoritas uiri præclarissimi et tam luculenter disputatio instituta erat, ut plerisque persuaderet sententiam suam ueram esse, quamquam ii non defuerunt, qui eam impugnarent. primus fuit *F. V. Fritzsche,* qui academiæ Rostochiensis rector anno 1837 tria programmata scripsit: *de Lenæis Atheniensium festo commentatio prima* et *secunda,* quarum numeri paginarum continuantur, et *commentationum de Lenæis atticis mantissa.* recepit is ueterem sententiam Scaligeri, qui Lenæa cum Dionysiis agrestibus coniunxit, quam de rebus singulis haud inepte disserens magis uerbis confidentibus quam idoneis argumentis tueri conatus est. alteram sententiam, cuius auctor Selden est, ita mutauit *W. Fr. Rinck* in libro *Die Religion der Hellenen* Turici anno 1854 edito uol. II, p. 76 sqq., ut cum Anthesteriis non solum Lenæa, sed etiam Dionysia agrestia coniungeret. hanc quam breuiter exposuit Rinck sententiam peregit *Otto Gilbert* in libro, cui nomen est: *Die Festzeit der Attischen Dionysien,* Gottingæ 1872. cum eo præter ceteros agendum est, quippe qui sententiæ contrariæ copiosissimus et primarius sit patronus, quamquam iure reprehenditur, quod neque argumenta bene disposuit neque satis clara nec progressio nec ratio disputationis est; neque ei statim ex sententia processit euentus. tum primum, cum *W. Doerpfeld* rebus theatralibus operam daus sibi persuasisset Gilbertum uerum inuenisse, maxima sua auctoritate effecit uir illustris, ut animi ad sententiam Gilberti attenderentur. argumenta uix afferens breuiter dixit se Gilberto assentiri *Berl. phil. Wochenschrift 1890,* 462 et *Das griechische Theater* p. 9 non consentiente collaboratore *Emilio Reisch* p. 10 ann. duo autem discipuli argumenta Gilberti melius et clarius disposita repetierunt: *E. Bodensteiner,* qui in ephemeride *Blätter für das (bayerische) Gymnasialschulwesen XXXI (1895)* disquisitionem scripsit: *Enneakrunos und Lenaion,* in qua p. 217 sqq. de nostra quæstione egit. alter est *J. Pickard,* cuius commentatio *Dionysos* ἐν Λίμναις inest in *The American Journal of Archæology, VIII*

(1893) p. 56 sqq. cum uterque nihil noui protulerit, quod maioris est momenti, eos non sæpe respicere opus est.

Quod quæstionem de temporibus grauissimam pertractare et laboriosum et longum erat, factum est, ut in maiore parte commentationis meæ de ea egerim; ex argumentis quæstio de mense Lenæone, quæ maximi est momenti, tam copiosam disquisitionem postulabat, ut ei propriam partem attribuerem. nam cum, ut auctores ueteres, qui de eo mense uerba faciunt, recte intellegerentur, fastos boeoticos et ionicos adhibere necesse esset, sententiis discrepantibus de iis primum quærendum erat; sic hæc de fastis disputatio ita accreuit, ut eam cum sequente in unam partem comprehendere haud aptum uideretur, præsertim cum hæc mensium examinatio quamquam necessaria a re proposita admodum aliena esset. in parte altera cetera testimonia tracto, quæ ad tempora Dionysiorum definienda pertinent; in tertia eruere conor, quæ origo quæque ab origine natura Dionysiorum fuerit; quæstio sane difficilis et ardua, in qua ultra id, quod uerisimile uidetur, sæpe procedi non potest. denique quod ad res diiudicandas maximi esse momenti censeo sine negotio comperiri posse, quæ ueteres de his rebus dixerint, testimonia auctorum et lapidum in appendice composui, ut facile cognoscatur, quæ de rebus singulis tradita sint.

Incommode accidit, ut hanc commentationem, quam confeci iam prima æstate a. 1898, deinde aliis negotiis necessariis occupatus nunc primum edere possem. nam hoc spatio temporis haud pauci uiri docti in nostram rem inquisiuerunt, quorum sententias apte inserere librum retractanti fortasse non semper mihi contigit. prima erat noua editio Heortologiæ *Augusti Mommsen*, quæ inscribitur *Feste der Stadt Athen im Altertum*. hæc causa est, cur priorem quoque editionem sæpe afferam, qua in opere perficiendo usus sum. ne locos ex hac allatos delerem, etiam eo commotus sum, quod, quæ de origine et natura festorum censet, in altera non tam perspicue exposuit Mommsen, quamquam ratio eius eadem constat. deinde *Franciscus Groh*, professor Pragensis, publici iuris fecit *Studia de Ἀθηναίων πολιτείᾳ* lingua bohemica conscripta, in quibus p. 17 sqq. *de Lenæis et Anthesteriis* egit. humanissime auctor amicissimus conspec-

tum argumenti mihi misit et me rogante nonnullos locos uertit, quamobrem ei magnam gratiam debeo. porro *I. de Prott* commentationem scripsit, cui nomen est *Enneakrunos, Lenaion und* Διονύσιον ἐν Λίμναις (*Athen. Mittheil. XXIII* p. 205 sqq.). quamquam is maxime de situ templorum disputat, etiam de aliis rebus, quæ ad rem nostram sunt, imprimis de Lenæis uerba facit.

De Lenæone mense.

Dionysia, quæ Lenæa auctores uocant, cum Lenæone mense ionico cohærere atque eo mense celebrata esse perspicuum est, quod iam ueteres recte putauerunt nec nunc quisquam negat; quamobrem, ut tempus Lenæorum comperiamur, quem locum anni hic mensis tenuerit, scire maximi est momenti. sed de hac re acris orta est contentio, quam profligare necesse est, antequam mensem ut argumentum adhibemus. Lenæo apud Hesiodum primum inuenitur op. u. 504 sqq (I [1])). multo difficilior eo fit quæstio, quod mensis ionicus apud poëtam boeoticum commemoratur; scholia porro, quæ inde a Plutarcho ad locum explicandum conscripta sunt, eam difficillinam reddunt. Sed Hesiodum primum aggrediamur.

De loco Hesiodeo.

Veteres Græci duas habebant rationes, secundum quas tempora describebant, quarum altera, quæ ad res sacras et ciuiles pertinebat, ad normam lunæ exacta erat, sed ita ut caueretur, ne a sole longius aberraret — hunc annum lunarem ratione solis quasi astrictam uocamus —; altera ortu et occasu stellarum tempus indicabat et ea

[1]) Numeri, qui romani uocantur, ad testimonia, quæ in appendice collegi, spectant.

uulgo utebantur, cum tempus anni solaris diligentius definiendum erat, quod agricolarum et nautarum maxime intererat. poëtæ quoque eam sequi solent, quod illa a carminibus abhorret. menses anni lunaris, qui aliis annis alias et inæquales partes duorum mensium anni solaris continebant, apti non erant, quibus res aliqua computaretur, quæ certo tempore anni solaris facienda erat ut messis et sementis. huic necessitati altera ratio seruiebat, quoniam ortus et occasus stellarum paulum tantum et tarde immutantur — nostra ætate eodem fere tempore Piscium sidus heliace ut dicitur exoritur atque ante duo milia annorum Aries; i. e. stellæ nunc, si qua hora oriantur, quæras, uno mense posterius quam tempore ultimo liberæ reipublicæ romanæ oriuntur; sed nisi sæcula multa numeres, hæc differentia parui momenti est, ut ueteres eam negligere potuerint — quamobrem rei natura ferebat, ut Hesiodus, qui agricolis et nautis, quo modo et quo tempore opera optime perficerent, uersibus præscripsit, stellas sequeretur [1]). annus lunaris rusticis etiam ad cognoscendum difficilis erat, quod sæpius intercalabatur, quæ res sacerdotibus oppidi mandata erat, qui ea non sine erroribus interdum arbitrariis perfungebantur. sic Romæ erat, ubi sacerdotes iure suo interdum abusi sunt. Athenis hieromnemones fastos curauere, quos interdum erra-
uisse Aristophanes Nub. 607—26 demonstrat, lunam deam querentem inducens, quod feriæ ciuitatis diuis non con-

[1]) Appendicem dierum u. 765 sqq, in qua rebus singulis dies certi mensis lunaris secundum superstitiones et religionem attribuuntur, et qui dies rei perficiendæ fausti quique infelices sint, prædicatur, non respicio. hanc enim poëtæ, qui opera scripsit, alienam esse opiniones prolatæ indicant, quæ sobrio ac res ad utilitatem referenti uiro, qui opera scripsit, non conueniunt. hoc iudicium iamiam constat. dies a uiro quodam religione occupato, quales ii erant, qui annum lunarem religiosum propagabant, conscripti sunt.

gruunt, i. e. quod a uero tempore, quod luna indicat, aberrauerunt. cf. etiam oraculum tertium in Midiana Demosthenis § 53 ὅτι τὰς ὥρας παρενέγκατε τῆς θυσίας καὶ τῆς θεωρίας. priore quidem ætate, quanto minor rerum cognitio erat, tanto maius arbitrium maioresque errores fuisse apparet. quare Hesiodus prudenter agricolis et nautis suasit, ut stellas sequerentur. uno hoc loco mensis nominatur, quod eam ob rem mirum uisum est. neque emendatores absunt. reicienda est coniectura Steitzii Βουκάτιον κἀκ' ἤματα κτλ. non iis de causis, quas Bergk hist. litt. græc. I. p. 953 ann. affert, sed quia rei miræ non eo medetur, quod pro ionico mensis boeoticus infertur; mirum autem id est, quod *mensis* adhibetur, cum aliis locis semper stellas poëta respiciat [1]). uehementius alii egerunt. quorum primus Twesten, comm. crit. de Hes. op. et d. p. 462 uersum eiecit. totam hanc descriptionem hiemis u. 504—560 Lehrs recentiore tempore insertam esse contendit, et Fick Hes. carm. p. 79 recentissimi diasceuastæ esse dicit. hæc quæstio ambigua certo discerni non potest; sed utut est, e uerbis traditis hoc appareret: Lenæonem satis antiquo tempore cognitum et commemoratum esse et hunc mensem ut eum, qui hiemis proprius sit, describi. plura colligere non licet. quamobrem haud recte Gilbert p. 16 sqq. contendit tempus certum anni solaris constitutum esse, a quo menses computarentur, si cum temporibus anni conferendi essent, ut Lenæo ex. c. inde a solstitio hiberno duceretur. hoc principium nostræ rationis est, in qua menses solares sunt.

[1]) Quomodo mensis nomen quamquam ionicum seruari possit, pluribus rationibus Schoemann comm. crit. editionis p. 50 explicat. h. l mensem, non stellas ad tempus definiendum adhibere licebat, quod non dies certus, sed tempus, cum hiems iniquissima esset, significandum erat. quamobrem apte Lenæone mense poëta utitur, qui, si idem atque Gamelio est, præcipue ap mensem frigidissimum, Ianuarium, pertinet.

si anno quodam nouilunium Lenæonis in diem XIII. Ian. incidit, anno sequente in II. Ian., tertio in XXI. Dec., quarto mense intercalato in XVI. Ian. mensis initium incidit [1]). Gilbert tamen poscit, ut Hesiodum a solstitio, quod cum nouilunio Lenæonis congruere poneret, proficiscentem annum in menses lunares descripsisse credamus; differentiam autem mensis lunaris agricolæ bœotici non tam facile quam is negligere potuerunt, nec temporis spatium, quod inter diem XXI. Dec. et XIX. Ian. est, id esse dicere licet, quod Lenæo complecti solet. si hoc libet, a nouilunio solstitio proximo proficiscendum est, ut ex. c. primo anno Lenæo a die I. Ian., secundo a XXI. Dec., tertio a X. Dec., quarto mense intercalato a IV. Ian. incipiat. sed hoc modo neque ei opinioni, quæ pæne ut axioma fertur, ut a primo post solstitium nouilunio mensis incipiat (de qua u. infra p. 14) satisfit, nec tempus quasi fixum, a quo proficiscens Gilbert annum describit, (i. e. solstitium) seruatur. quare cum eo certum tempus, a quo anni solaris et lunaris, cum comparandi sint, computentur, statuente consentire non possum. quod cum ita sit, ex Hesiodo ipso, in quod tempus Lenæo inciderit, accuratius colligi non posse apparet. id solum constat, quod dixi, frigidissimum eum fuisse mensem, et si uersum uel uersus, in quibus Lenæo commemoratur, rhapsodus recentioris ætatis inseruit, etiam magis perspicuum est cum cetera temporum ratione Hesiodea eum non cohærere. cum rationes lunaris et stellaris simul adhiberentur, nimirum interdum eas inter se comparare necesse erat; quæritur autem, quanta accuratione factum sit. rituum sacrorum et sacrificiorum tempus ad normam lunæ exigebatur; nam in rebus publicis antiquissimis die accurate definito uix opus erat. quare ascriptio diei, quam

[1]) Quia in calculis maximæ molestiæ fuisset, si more romano dies indicauissem, semper nisi certa de causa nostrums ecutus sum.

in titulis publicis posterioris ætatis inuenimus, omitti potest; agricolas et nautas stellas obseruauisse ex Hesiodo apparet. si sacra die iusto, qui a nouilunio uiso computabatur, perficiebantur, bene res se habebant; accuratiore comparatione rationum opus non erat. sed rei natura ferebat, uf animo sibi uulgo fingerent, quale tempus anni esse soleret, in quod mensis certus incidebat, ut nos tempora sacrorum resurrectionis et pentecostes nobis fingimus. quamobrem Lenæo apte ut mensis imprimis hiemalis describitur.

Facili negotio Fritzsche refutatur, qui in prima de Lenæis commentatione p. 17 sqq. Lenæonem Hesiodi mensem atticum Posideonem esse efficere uult. seiungit is a mense ionico Lenæone atticum eiusdem nominis, quem non nisi apud Hesiodum commemorari dicit. sed siue Hesiodus siue diasceuasta, rhapsodus ionicus, hoc scripsit, mensis atticus ab eo allatus multo magis mirus est quam ionicus. accedit, quod Athenienses Lenæonis nomine numquam usi sunt (u. infra p. 34 sqq). Lenæonem Hesiodi Posideonem esse Fritzsche dicit, quod Lenæone descripto sic pergit u. 564:

Εὖτ ἂν δ᾽ ἑξήκοντα μετὰ τροπὰς ἠελίοιο
χειμέρι᾽ ἐκτελέσῃ Ζεὺς ὄμβρια, δὴ ῥα τότ᾽ ἀστὴρ
Ἀρκτοῦρος προλιπὼν ἱερὸν ῥόον Ὠκεανοῖο
πρῶτον παμφαίνων ἐπιτέλλεται ἀκροκνέφαιος.

et his sexaginta diebus, qui a *solstitio* hiberno incipiunt, poëtam tempus, quod inter *Lenæonem* et Arcturum orientem est, significare putat. in memoriam reuocare uolo poëtam u. 504—563 hiemem asperrimam depingere, sed 564 sqq. tempus, a quo incipiat uer, accurate definire uoluisse, quare hoc illi subiungere non licet; cum præterea Posideo mensis lunaris fuerit, qui rarissime usque ad solstitium pertinebat, diem ultimum eius in solstitium incidere nec Fritzschio sumere licere neque Hesiodum sibi fingere potuisse dico, si quis ita accurate computet, ut dies numeret.

Itaque cum ex Hesiodo nihil certi erui possit, alio modo statuere conandum est, qui fuerit Lenæo mensis.

De fastis boeoticis.

Quoniam in scholiis ad uersum illum Hesiodeum op. 504 Lenæo mensibus boeoticis allatis definitur et, quid de his scholiis iudicandum sit, exquirere nobis propositum est, primum fastos boeoticos bene perspectos habere necesse est. nam qui menses boeotici atticis respondeant, ambigitur. ex. c. Bucatium, quocum Plutarchus Lenæonem comparat, alii Gamelionem, alii Posideonem esse putant. post Boeckhium et Hermannum (Abh. der Ges. der Wiss. zu Göttingen II phil-hist. Cl. p. 43 sqq) fastos boeoticos tractauere Bischoff Stud. Lips. VII, p. 343 sqq. et Latischew in libro de nonnullis fastis æolicis et doricis p. 64 sqq, quem lingua russica scriptum per Bischoffium solum cognoui. magni momenti porro est commentatio Lipsii in Stud. Lips. III p. 213 sqq. etiam Kirchhoff rem tetigit in commentatione: Über die Zeit der Pythischen Festfeier, Monatsber. der Ak. der Wiss. zu Berlin 1864 p. 134 sqq. uide porro A. Schmidtium N. Jahrb. f. Phil. 1885 p. 349 sqq.

Bucatium Gamelionem esse Boeckh putauit, quem in hoc secuti sunt Otto Gilbert et nuper Unger, qui in enchiridio Iwani Müller I rem chronologicam tractauit. quod Plutarchus ad Hes. op. 504 (test. II) cum Lenæone et Bucatium et Hermæum, mensem sequentem, comparat, is et Hermann ita explicauerunt, ut ratione intercalandi alia atque Athenienses Boeotos usos esse sumerent, quo fit, ut Gamelio re uera modo in Bucatium modo in Hermæum incidat. huic explicationi quippe subtiliori quam ueriori Gilbert p. 28 iure assensus non est. Bischoff autem Bucatium Posideonem esse contendit.

Ad quæstionem diiudicandam testimonia ueterum de mensibus boeoticis in examen uocemus. Plut. Arist. 19 diem pugnæ Platæensis et secundum atticos et secundum boeoticos fastos indicat. ταύτην τὴν μάχην ἐμαχέσαντο τῇ τετράδι (τρίτῃ Cam. 19 et de glor. Ath. 7 [1])) τοῦ Βοηδρομιῶνος ἱσταμένου κατ' Ἀθηναίους, κατὰ δὲ Βοιωτοὺς τετράδι τοῦ Πανέμου φθίνοντος, ᾗ καὶ νῦν ἔτι τὸ Ἑλληνικὸν ἐν Πλαταιαῖς ἀθροίζεται συνέδριον καὶ θύουσι τῷ ἐλευθερίῳ Διὶ Πλαταιεῖς ὑπὲρ τῆς νίκης. τὴν δὲ τῶν ἡμερῶν ἀνωμαλίαν οὐ θαυμαστέον, ὅπου καὶ νῦν διηριθμημένων τῶν ἐν ἀστρολογίᾳ μᾶλλον ἄλλην ἄλλοι μηνὸς ἀρχὴν καὶ τελευτὴν ἄγουσιν, (τρίτῃ, quod bis occurrit, præferendum esse et τετράδι ex enuntiato sequente errore receptum esse credo). si Bischoffium sequimur, Panemus est Metagitnio et Pamboeotius Boëdromio. dierum igitur atticorum et boeoticorum huius anni hæc tabula describitur:

Boëdromio	1	= Panemi	(24) 7	φθίνοντος	si	7
	2		(25) 6		Panemus	6
	3		(26) 5		cauus	5
	4		(27) 4		erat	4
	5		(28) 3	μηνός		3
	6		(29) 2			1
	7		(30) 1		Pamboeotii	1
	8	= Pamboeotii	1			2

in hac tabula initia mensium lunarium inter se satis differunt, quod, cum a nouilunio inceperint, uix credas; neque credidit Boeckh, qui in procœmio lect. æst. 1817= op. min. IV p 87 sqq. Plutarchum errasse contendens

---

[1]) Ex hoc loco festum pugnæ in memoriam Athenienses egisse ductum est. non prorsus certum est; extat enim tantum τρίτῃ δ' ἱσταμένου τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην ἐνίκων; cum autem sacra uictoriarum gratia instituta enumerentur, uerisimile est hoc quoque tale fuisse. ἐνίκων pro νίκην ἑορτάζουσι dixit, ut uarietas orationi inesset.

proelium die VII. Panemi habitum esse dixit, diem autem atticum ad festum uictoriæ causa actum pertinere sumpsit, quod cum die pugnæ non consentiret, quamquam Plutarchus id credidisset. hoc postea paulum immutauit ita, ut diem boeoticum quoque ad ferias uictoriæ gratia institutas pertinere et pugnam paucis diebus ante commissam esse diceret (Zur Geschichte der Mondcyklen der Hellenen p. 67, cf. op. min. IV, p. 88 ann. 2). quamobrem hanc dierum comparationem nullius esse momenti contendit. meminerimus autem ueteres in mensibus ad normam lunæ exigendis sæpe negligentiores fuisse; cf. supra p. 2 sq et præterea Aristox. elem. harm. II p. 30 ed. Meurs. etiamsi Idelero, qui Chronol. I p. 257 ann. fieri posse negauit, ut apud populum græcum initium mensis a nouilunio quinque dies aberraret, hoc concedimus, hic minore differentia opus est. si enim in medium diem inter primos Boëdromionis et Pamboeotii nouilunium incidit, non amplius quam quattuor dies ab initio utriusque mensis abfuit. etiam minor differentia fit, si pro τετράδι τρίτῃ probamus. itaque Unger ench. Mülleri I² p. 734 non mirum esse dicit 479 a. Chr. n. diei IV. (III.) Boëdromionis XXVII. diem Panemi respondisse. cum autem Boeckhii sententia per se uerisimilis sit, hunc locum ambiguum esse fatendum est. si ei assentimur, cui mensi Panemus responderit, non liquet; quodsi uerum Plutarchus tradidit et dies primus Pamboeotii in VII. uel VIII. Boëdromionis incidit, Pamboeotius XXII dies saltem, si Boëdromio cauus et Panemus plenus erat, aut, si is plenus et Panemus cauus erat, XXIV dies Boëdromionis comprehendebat, ut Panemus Metagitnioni et Pamboeotius Boëdromioni responderet, quod cum fastis congruit, quos Bischoff proposuit.

Hos ueros esse e lapidibus colligimus. in titulo delphico Wescher-Foucart Inscr. rec. à Delphes 207 = Collitz

Griech. Dial. Inschr. 1872, qui Ol. 170, 4 = 177/6 a. Chr. n. scriptus est, Bucatius cum mense delphico Poetropio comparatur, et in titulo delphico paulo recentiore (150—140 fere a. Chr. n.) Wescher-Foucart 424 = Collitz 2089 Poetropius cum Posideone attico comparatur [1]); apparet ergo Bucatium Posideoni respondere. ut hoc testimonium reiciatur, cogitauerit quispiam rationem intercalandi aliam Boeotos ac Delphos habuisse, ut Bucatius aliis annis Amalio i. e. Gamelioni responderet et huic quidem respondere soleret. hoc concesso si annus boeoticus non intercalaris, delphicus intercalaris esset, mensis intercalaris delphicus Poetropius alter in primum mensem sequentis anni boeotici incideret, ut Bucatius Poetropio altero illius anni responderet. tabulam appono:

Bucatius	=	Amalius	=	Gamelio
|		|		|
Alalcomenius	=	Poetropius prior	=	Posideo
Bucatius	=	Poetropius alter	=	Gamelio (uel Posideo alter)

fieri autem non potest, quin mensis intercalaris ut Poetropius alter ascribendus fuerit; titulus Poetropium tantum exhibet. nec si Athenienses alio anno ac Delphos intercalauisse sumitur, sententia Boeckhii teneri potest. nam si Bucatius Amalius i. e. Gamelio fuisset, Alalcomenius Poetropius i. e. Posideo prior et Bucatius Amalius i. e. Posideo alter fuisset, quod eandem ob causam non licet, quod Posideonem alterum esse in titulo significandum erat. si, ut omnia percenseamus, Delphos annum intercalarem non habuisse, Boeotos autem habuisse ponimus, Bucatius fit Bysius i. e. Anthesterio, quod certo falsum est. quare

[1]) Wescher-Foucart inscr. delph. 207 Στραταγέοντος τῶν Βοιωτῶν Εὐρέα μηνὸς Βουκατίου, ἐν Δελφοῖς δὲ ἄρχοντος Μελισσίωνος μηνὸς Ποιτροπίου κτλ. 424 Ἄρχοντος ἐν Δελφοῖς Εὐκλέος μηνὸς Ποιτροπίου — — — ἐν δὲ Ἀθήναις στραταγέοντος Ξενοκλέος μηνὸς Ποσειδεῶνος κτλ. consentit IGS I 4135 (Hippodromius = Apellæus).

hi tituli sic tantum intellegi possunt, ut, cum scriberentur, i. e. altero a. Chr. n. sæculo, Bucatius Posideoni attico responderit.

Accedit titulus CIG 1569 a III [1]), cuius tempus non constat; sed ab iis, quos attuli, non tantum distat, ut adhibendus non sit. Boeckh ad l. CIG eum aut Ol. 103, 2 i. e. 387/6 a. Chr. n. aut inter Ol. 111 et 145 insculptum esse putat, cum CIG, 1584, qui ad Ol. 145 fere pertinet, iam lingua communi quæ uocatur scriptus sit, noster autem dialectum boeticam exhibet; nescio an uerissime Lipsius Stud. Lips. l. l. eum iis, quos ante attuli, paulo antiquiorem esse dixerit. cum mensis primus phocensis delphicus Heræus i. e. Pyanopsio sit, ex hoc titulo colligimus anno quodam boeoticum Alalcomenium Pyonopsionem fuisse. Bucatius ergo Mæmacterioni respondit, quo res magis implicari uidetur; quodsi illo anno Phocenses et Athenienses intercalasse, Boeotos autem non intercalasse sumimus ut Boeckh l. l., hic titulus cum prioribus consociatur. tabulam appono:

apud Boeotos	Phocenses	Athenienses
Damatrius	primus mensis	Pyanopsio
Alalcomenius	secundus	Mæmacterio
Bucatius	tertius	Posideo
X menses	IV.—XII. et intercalaris = X	intercalaris et IX
Alalcomenius	primus	Pyanopsio
Bucatius	secundus	Mæmacterio

Cum his lapidum testimoniis comparandus est Plutarchus. loci hi sunt: Ianuarius est fere Posideo Cæs. 37, Kal. Mart. fere nouilunium Anthesterionis Sulla 14, Idus Sept. fere plenilunium Metagitnionis Publ. 14; Alalcome-

[1]) = IGS I, 3171 = Collitz 489 = Larfeld, syll. inscr. boeot. 33 c: Ἄρχοντος ἐν Ϝερχομενῦ Θυνάρχω, μεινὸς Ϝαλαλκομενίω, ἐν δὲ Ϝελατίῃ Μενοίταο Ϝαρχελάω, μεινὸς πράτω κτλ.

nius est Mæmacterio Arist. 21, Hippodromius Hecatombæo et Panemus Metagitnio Cam. 19, Prostaterius Anthesterio Quæst. conu. III, 7, 1 (cf. VIII, 10, 3), Damatrius Pyanopsio uel Athyr ægypticus (= Nouember) de Is. 69, in quo sol scorpionem percurrit ib. 13; porro in scholio illo ad Hes. op. 504 Hermæus Bucatium sequi et Gamelioni respondere et Bucatio sol caprum percurrere dicitur. e quibus locis hunc conspectum contuli.

signum, cuius maiorem partem mense iuliano sol percurrit	romani	menses attici	boeotici; quorum sunt loci dubii, uncis inclusi
caper	Ianuarius	Posideo	Bucatius
aquarius	Februarius	Gamelio	Hermæus
pisces	Martius	Anthesterio	Prostaterius
aries	Aprilis	Elaphebolio	(Agrionius)
taurus	Maius	Munychio	(Thiuios)
gemini	Iunius	Thargelio	(Homoloius)
cancer	Iulius	Scirophorio	(Thiluthius)
leo	Augustus	Hecatombæo	Hippodromius
uirgo	September	Metagitnio	Panemus
libra	October	Boëdromio	(Pamboeotius)
scorpio	Nouember	Pyanopsio	Damatrius
sagittarius	December	Mæmacterio	Alalcomenius

Boeckh, qui neque omnes menses neque ordinem earum cognouit, hæc testimonia cum sententia sua ita consociauit, ut locis, ubi Prostaterius cum Anthesterione comparatur, neglectis hunc Elaphebolionem esse poneret, ceteros autem menses in locis, quos iis Plutarchus attribuit, manere iuberet. parum recte uirum egregium egisse Gilbert uidit, qui p. 30 sq. mensibus Damatrio et Alalcomenio e Plut. de Is. 69 locos XI. et XII. uindicauit, sed nihilo minus id, quod ex his concludere necesse est,

omisit. si enim Plutarchus cum mense boeotico XII., Alalcomenio, VI. atticum, Mæmacterionem, confert, eum cum I. boetico, Bucatio, VII. atticum, Posideonem, conferre necesse est, nisi forte ita inconstanter egit, ut Bucatium cum Gamelione conferret, quod aliis intercalandi rationibus positis Alalcomenius alter Posideoni et Bucatius Gamelioni responderet, Prostaterium autem, qui, si ita esset, Elaphebolioni responderet, Anthesterionem esse diceret (Quæst. symp III, 7, 1). præterea rationem sollennem, etiamsi ratio incalandi eam interdum obscurabat, semper sequi nimirum debet.

Alteram quam protulit Gilbert rem haud recte æstimauit; est enim Plutarcho proprium, ut in mensibus atticis cum romanis comparandis mensem romanum adhibeat, qui eum, quocum græcus recte comparatur, sequitur. exempla u. p. 10[1]). Gilbert Plutarchum in boeoticis quoque mensibus cum atticis comparandis atticum sequentem adhibuisse credit, et cum eo facit Unger l. l. p. 730 ann. 4 et p. 757 ann. 1, qui menses boeoticos a sede non aberrauisse putans ueterem rationem, quæ inter eos et atticos fuerit, e Plut. Pel. 24[2]) colligendam esse censet. qui locus cum Alalcomenium una cum solstitio

[1]) Hanc rem diligenter persecutus est Unger primus ench. I. Mülleri I² p. 757 sqq. si Plutarchus interdum uetere ratione utitur, hoc mirum non est, cum eam a uetere scriptore transtulerit. (Nic. 28, Alex. 3, Unger p. 757 ann. Timol. 27 autem in iis locis non recte numerare uidetur, quod Vergiliis orientibus die XIV. Maii secundum Eudoxum æstas incipit et h. l. ἱσταμένου θέρους legitur; Unger Thargelionem h. l. Maium esse putat, equidem potius Iunium, ut assolet Plutarchus.)

[2]) Plut. Pel. 24 καίτοι χειμῶνος μὲν ἦσαν αἱ περὶ τροπὰς ἀκμαί, μηνὸς δὲ τοῦ τελευταίου (i. e. Alalcomenius) φθίνοντος ὀλίγαι περιῆσαν ἡμέραι καὶ τὴν ἀρχὴν ἔδει παραλαμβάνειν ἑτέρους εὐθὺς ἱσταμένου τοῦ πρώτου μηνός, ἢ θνήσκειν τοὺς μὴ παραδιδόντας. οἱ δὲ ἄλλοι βοιωτάρχαι καὶ τὸν νόμον δεδιότες τοῦτον καὶ τὸν χειμῶνα φεύγοντες ἀπάγειν ἔσπευδον ἐπ' οἴκου τὸ στράτευμα.

desiise indicare uideatur, ceteris, ubi de mensibus boeoticis loquitur Plutarchus, contrarius est. hunc locum sequens Unger inde ab initio Bucatium Gamelionem i. e. Ianuarium fere fuisse, postea autem, cum Ianuario Posideo et Gamelio Februario responderet, Bucatium Posideoni respondisse putat. quoniam autem Bucatium Posideonem i. e. Decembrem II. a. Chr. n. sæculo fuisse lapides testantur et Plutarchus dicit Posideonem Ianuarium esse (Cæs. 37) et Bucatio solem capricornum percurrere i. e. hunc mensem Ianuario respondere (ad Hes. op. 504), fieri non potest, quin *menses boeotici una cum atticis a loco aberrauerint.* nam et tituli, qui ante id tempus, quo menses attici a loco aberrare incipiebant (74—225 p. Chr n. unius mensis spatio posteriores erant auctore Ungero p. 763) insculpti sunt, et Plutarchus, qui post id tempus vixit, eadem ratione in mensibus boeoticis cum atticis comparandis utuntur. obstat tamen locus ille Pelop. 24, qui quanti faciendus sit, nunc exquirendum est. Lipsium sequens Bischoff, qui Bucatium cum Posideone comparat, p. 345 intercalandi rationibus dissimilibus locum expedire uult, qua explicatione etiam in schol. ad Hes. op. 504 utitur; sic res explicari potest et sic supra CIG 1569 explicaui. sed in hoc titulo de re singula agitur, Plutarchus autem uerba ita facit, ut de lege eum loqui credas, quæ boeotarchas post mensem postremum peractum imperium nouis tradere iussit, et hunc mensem ad solstitium pertinere solere putes. eadem de causa Ruellio in encycl. Darembergii I, 828 assentiri non possum. nihil autem obstat, quin Plutarchus h. l. ut solet rationem temporis describendi, qua Boeoti eius ætate usi sunt, in priorem transtulerit. eius enim temporibus Bucatius solstitium subsequi solebat, boeotarchæ ergo magistratum post solstitium inibant, et sic Epaminondæ quoque temporibus fuisse credidit, quamquam re uera

Bucatius tum solstitium antecedebat. eodem modo ex. c. Sullam Athenas nouilunio Anthesterionis cepisse dicit, quamquam ex commentariis dictatoris urbem Kalendis Martiis captam esse tradit, qui mensis potius cum Elaphebolione erat comparandus. Plutarchum apud ueterem auctorem hæc fere inuenisse uerisimile est: δεινὸς χειμὼν ἦν, μηνὸς δὲ τοῦ τελευταίου κτλ., quod rationem temporis describendi suæ ætatis sequens bona fide ita mutauit, ut hoc tempus in solstitium incidisse diceret: χειμῶνος μὲν ἦσαν αἱ περὶ τροπὰς ἀκμαί κτλ; in enuntatione sequente boeotarchas ceteros non solum legis, sed etiam hiemis causa reuerti uoluisse dicit. opus non erat solstitium adesse, ut propter hiemem exercitus reduceretur, cum militia Græcis satis dura uideretur, si medio uel fine Nouembris in castris uersari necesse esset.

Hac explicatione, quæ rationi, qua in mensibus definiendis utitur Plutarchus, optime conuenit, probata sequitur, ut Boeoti annum inceperint a mense, qui solstitium præcedere solebat. statuerunt autem Hermann l. l. p. 35 et Unger l. l. p. 730 sq. Græcos nouum annum aut a solstitiis aut ab æquinoctiis incepisse. hoc autem ita non est. nam Achæos illam regulam non curauisse apparet e Polybio V, I, qui annum achaicum fere Vergiliis orientibus initium cepisse testatur; oriebantur tum die XXII. Maii secundum rationes, quas amicus harum rerum peritus instituit. ita etiam Locri eam negligebant, quorum primus mensis idem ac Metagitnio i. e. Augustus fere erat. Thessalos quoque plerosque ab eodem tempore annum duxisse non certo constat, quamquam Bischoffio uerisimile uidetur. itaque quoniam hoc argumentum non ualet, Bucatium Posideoni respondisse constat.

De scholiis ad Hes. op. et dies u. 504.

Scholia Procli et Byzantinorum et glossæ lexicographorum, qui de Lenæone mense scripsere (II—X), omnes a Plutarcho pendent, quem auctorem suum fuisse Proclus dicit. magna de iis lite orta tanti, quanti cuique aptum est, ea fecere uiri docti; Boeckh proba et pura ea uocat, Fritzsche I p. 22 de »misera ista scholiorum Hesiodiorum farragine» cum contemptu loquitur, Gilbert p. 20, quam sit acris lis, uidens amino afflicto ex iis, qui locus Lenæoni mensi tribuendus sit, erui posse desperat.

De scholio Procli (II), quod e commentariis Plutarchi in Hes. op. et dies deriuatum est, primum agamus. confert Proclus cum Lenæone et Bucatium et Hermæum, ut e duobus partibus hoc scholium constet ut glossa Hesychii Ληναιών (VI). posteriorne quoque pars, quæ apud Proclum incipit ἢ τὸν Ἑρμαῖον apud Hesychium ἔνιοι δὲ, ad Plutarchum referenda esset, Boeckh dubitabat l. l. p. 73; utrumque tamen mensem Lenæoni i. e. Gamelioni respondere potuisse ducebat, cum ratione intercalandi boeotica alia atque attica utrumque recte se haberet, quod Lenæo modo in Bucatium modo in Hermæum incideret. ei Gilbert p. 28 sqq. aduersatus est Plutarcho posteriorem partem abiudicans (p. 33 sqq.). Boeckhium errare, cum Plutarchum semper singulos menses comparare soleret. καὶ εἰς ταὐτὸν ἐρχόμενος τῷ Γαμηλιῶνι sensu carere et delendum esse. si sententia Boeckhii admittenda esset, Plutarchum significare debuisse Hermæum *interdum tantum* in Lenæonem incidere, hanc glossam marginalem, quæ re uera ad Bucatium spectaret, eiciendam esse; partem posteriorem scholii ad mensem ionicum Lenæonem, qui secundus post solstitium esset, se referre (hoc falsum esse neque ionicum Lenæonem alium atque Hesiodeum esse infra de fastis ionicis disserens explicabo;

sed Gilbertum asianum Lenæum in animo habere uerisimile est) Lenæonem Lenæa in mentem reuocare, quare uerba καθ' ὃν καὶ τὰ Λήναια παρ' Ἀθηναίοις a Proclo addita esse. uerbis, quæ Gilberto non conueniunt, deletis hæc restant: ἢ τὸν Ἑρμαῖον, ὅς ἐστι μετὰ τὸν Βουκάτιον, καθ' ὃν καὶ τὰ Λήναια παρ' Ἀθηναίοις, quæ Gilbert suæ sententiæ consentire credebat, cum Bucatium Gamelionem esse putaret et Hermæum Anthesterionem, ad quem mensem Lenæa pertinere efficere uoluit. sed ne hoc quidem modo scholium in suas partes trahere potest, quoniam Hermæum Gamelioni respondere reperimus. quamobrem uerba illa explicanda potius quam eicienda sunt.

E duobus partibus scholium constare Gilbert recte statuit, quarum posterior ad Plutarchum non pertinet. Hesychius, qui glossam recidit, uerius quam Proclus ἔνιοι δὲ τὸν Ἑρμαῖον dicit, quod ut ipse excogitauerit, fieri non potest [1]). e priore parte, quam Plutarchus scripsit, Bucatium Gamelionem esse uiri docti collegerunt. eius tamen temporibus Bucatium Posideoni respondisse constat, qui mensis atticus tum incidebat in Ianuarium fere, in quo sol capricornum percurrebat, qui locus anni antea Gamelionis fuit. Plutarchus ergo Lenæonem Gamelioni respondere non cognouerat, quod eum scire e uerbis eius uulgo concludunt. si enim ea opinio eius esset, ut quondam Lenæo Gamelio Bucatius idem fuisset mensis, sua ætate aliter esse tradere debebat, ut de die pugnæ Pla-

[1]) Si quis etiam hanc partem Plutarcho attribuere uelit, nihil ad rem. si ita est, alteram sententiam eo, quod Bucatius frigidus est et ad βούδορα quadrat, alteram eo, quod Lenæonem et Lenæa affert, probat, sed utra præferenda sit, non indicat. tum haud bene egit, qui non ea, quæ similitudine uerborum incerta nititur, reiecta eam, quæ optimis argumentis confirmatur, tueretur.

tæensis disserens fecit. ei, qui aliis locis, ut mensis accurate definiatur, menses atticos et romanos et ægypticos quoque adhibet et h. l. Bucatium signo allato indicat, neque ὑποπτεύειν neque εἰκάζειν opus esset, si aliunde Lenæonem cognouisset. si coniecit Plutarchus et coniectura eius cum iis, quæ de fastis boeoticis tenemus, non conspirat, cur eum errauisse statuere dubitemus? rem ei plane incognitam esse ex causis, quas affert, apparet, quas Hesychius recte in uerba καὶ γὰρ ψυχρός ἐστι comprehendit. Hesiodus Lenæonem κάκ᾽ ἤματα dicit; cum Bucatius sua ætate item mensis hiemalis asperrimus esset, statim eos menses inter se respondere conclusit. Hermæo, qui antea Bucatii locum tenens asperrimus fuerat et eius quoque ætate hieme non carebat, reiecto Bucatium prætulit, quod nomen Bucatii uoci Hesiodeæ βουδόρα simile erat. scholium (II) uerbis apertis de frigore non loquitur; hoc autem uerbis Βουκάτιον, ὅς ἐστιν ἡλίου τὸν αἰγόκερων διιόντος inest, quod id signum maxime hiemale esse notum erat. hoc enuntiatum non solum tempus Bucatii definire, sed etiam causam, cur hic comparetur mensis, indicare eo apparet, quod coniunctione κατά cum enuntiato sequente τοῦ βουδόρα τῷ Βουκατίῳ συνάδοντος copulatum est, quæ uerba alteram causam proferunt. hæc autem magni momenti non est. Bucatius Delphis in Metagitnionem incidebat et Chalii in oppido boeotico est Boathoos delphicus i. e. Boëdromio (Bull. XVII, p. 394, inscr. 94). Plutarchum talibus argumentis usum errauisse mirum non est, neque quemquam eum sequentem Lenæa Posideone celebrata esse nunc statuere uelle credo, quæ sententia Fritzschii, si illud probauerimus, eueniet; sed hæc certo falsa aliis argumentis prorsus caret. quare excogitata Plutarchi tandem omittamus.

Is Lenæonem Bucatium esse coniecit, posteriorem autem partem alius addidit, qui rem melius perspectam

habebat, ut Plutarchum corrigere posset. Lenæonem non Bucatium, sed mensem, qui hunc subsequitur, Hermæum esse contendit, locumque Hermæi recte, ut uidimus, Gamelionem afferens definit. ut hoc approbet, Athenienses hoc mense (Gamelione) Lenæa celebrare et ceteros Iones mensi Gamelioni non hoc nomen indidisse, sed Lenæonem uocare dicit, quibus argumentis meliora uix reperiri possunt. quoniam ergo Gamelionem Hermæo respondisse scimus neque Plutarchi coniectura obstare oportet, quominus uerum agnoscamus, ea, quæ Boeckh excogitauit, ut uterque mensis cum Gamelione conferri posset, nobis opus non sunt, sed hanc alteram partem ueram esse profiteamur. in ceteris scholium Boeckh recte intellexit (l. l. p. 75). καθ' ὃν καὶ τὰ Λήναια παρ' Ἀθηναίοις ad Gamelionem referre necesse est, quod hæc enuntiatio id nomen mensis subsequitur et quod mense attico significandum est, quando festum atticum actum sit. quamobrem uerba καὶ εἰς ταὐτὸν ἐρχόμενος τῷ Γαμηλιῶνι Gilbert l. l. non recte delet, quod iis eiectis enuntiatio καθ' ὅν κτλ. ad mensem boeoticum Bucatium refertur. præterea iis uerbis deletis enuntiatum ultimum Ἴωνες δὲ τοῦτον οὐδ' ἄλλως, ἀλλὰ Ληναιῶνα καλοῦσιν suspensum pendet, neque quicquam habet, ad quod se applicet. Gilbert ad mensem boeoticum Hermæum id refert p. 34 Iones huic mensi (Hermæo) aliud nomen non indidisse, sed Lenæonem eum uocare dicens. quæro quid miri in eo sit, quod Boeoti huic mensi aliud nomen atque Iones indiderunt, præsertim cum nulla Lenæa haberent neque ullos menses iisdem nominibus atque Iones appellarent. quanto melius de Atheniensibus dicitur, qui ut Iones Posideonem et Anthesterionem aliorumque mensium eadem nomina habebant. Athenienses mensi, in quo Lenæa agebant, aliud nomen, quod ad hoc festum non pertineret, indidisse, Iones autem nomen a festo deriuatum

habere scholiasta nos recte docere uoluit, quamquam parum intellectum est. nec Lenæa ad Boeotos pertinent. quamobrem uerba illa καὶ εἰς ταὐτὸν ἐρχόμενος τῷ Γαμηλιῶνι ad scholium recte intellegendum necessaria sunt, eaque uerissima esse iamiam sæpius dictum est, quoniam Gamelio semper et Plutarchi quoque ætate, quamquam tum et attici et boeotici menses a loco priore aberrauerant, Hermæus fuit. uidemus ergo scholiastam, dummodo recte comprehendatur, plane ac diserte loqui, ut, quin res nouerit, dubium non sit, eos autem, qui eum in suas partes trahere uoluerunt, eum male interpretatos esse. nonne igitur eum Gamelione Lenæa acta esse affirmantem etiam sequamur? causa, cur ei in hoc fides denegetur, non adest.

Glossarum et scholiorum recentiorum (III—X) optima est glossa Hesychii s. u. Ληναιῶν (VI), quæ ex eodem fonte ac scholium Proclianum deriuata est. sola in eo uerum retinuit, quod ἔνιοι habet (cf. p. 16), etiamsi forsitan recte M. Schmidt ad l. contenderit glossam initio Ληναιών· μήν (cf Suidam Ληναιών (VII) fuisse et quæ sequuntur postea addita esse. more posteriorum in breuius glossa redacta est. argumenta Plutarchi his uerbis comprehensa sunt καὶ γὰρ ψυχρός ἐστι; in parte altera nomen mensis atticum, quod quidem magni est momenti, et enuntiatum Ἴωνες κτλ. omissa sunt; quodsi glossa præcidenda erat, hæc sola deleri poterant, neque quam esset necessarium nomen Gamelionis, intellexit scriptor. sed sic quoque intellegi potest, dummodo Lenæonem et Hermæum Gamelionem esse teneamus. si ἐν αὐτῷ ad lemma refertur, paulo aptius dictum est.

Sequitur alterum scholium ad Hes. op. 504 (III), quod Gaisford etiam Proclo attribuit. hoc originem eandem atque cetera scholia et glossæ habet. ab errore tam stolido (Ληναιών· ὄνομα μηνὸς κατὰ τοὺς Βοιωτούς) initium

capit, ut eo satis efficiatur hominem, qui hoc conscripsit, alium ac Proclum fuisse, qui e Plutarcho Lenæonem boeoticum non esse certo comperit.

In re uniuersa inter se bene conspirant glossæ; in singulis inter se differunt, quod facile explicatur, cum quæ cuique placerent adsciuerit. quomodo id factum sit, ex hac conspectu apparet:

nomen mensis boeoticum sch. II., Gud.
apud Ionas Lenæo Gud., Tz.
bubus corium detrahitur (frigore: addidit magn.) sch. II., magn.
est Choeac magn., Tz.
est Ianuarius Gud., Tz., Mosch.
sic appellatus, quod in eo uindemia fiebat sch. II., Gud., Magn., Tz.
est ἀρχὴ χειμῶνος (μηνῶν: magn.) sch. II., Gud., magn.
quod λήναια ἔρια, lanam, significat sch. II., Gud.
quod in eo Baccho Ambrosia celebrabatur sch. II., magn., Tz., Mosch.

Priorem partem, in qua de loco mensis et explicatione uerbi βουδόρα agitur, non multum curauere glossatores; ueriloquium nonimis Ληναιών reperire antiquius habuere, quam partem eos ad unum omnes ex eadem origine recepisse apparet. plenius quam ceteræ glossæ scholium alterum ad Hes. op. 504 (III) est; et. magn. s. u. Ληναιών (VIII) alteram et et. Gud. sub eodem uerbo (IX) tertiam rationem omisit. has tres glossas ex eadem exscriptos esse apparet e uerbis οὗτος δὲ ὁ μὴν ἀρχὴ χειμῶνός ἐστιν. quæ omnes habent. nam quod in et. Gud. extat ἀρχὴ μηνῶν, quin cum Fritzschio I, p. 28 in ἀρχὴ χειμῶνος corrigendum sit, dubium non est. error librarii leuis est. si lexicographus hunc mensem primum

esse dicere uoluisset, aut ἀρχὴ ἐνιαυτοῦ aut πρῶτος μηνῶν scripsisset; ἀρχὴ μηνῶν defendi nequit. sed ἀρχὴ χειμῶνος miri aliquid præbet. nam Boeckhio, qui p. 77 Lenæonem ut Gamelionem initium hiemis esse dicit, assentiri non possum, quia hic mensis potius quam initium hiemis hiems acerrima est, qualem eum Hesiodus describit, et ætate posteriore etiam in uer primum, ut antea Anthesterio, incidebat. aliter hoc explicandum est. hæc uerba enuntiationem subsequuntur, in qua nomen Lenæonis e uindemia deriuatur, quare ad hanc illa spectare uerisimile sit. uindemia autem Lenæone non fiebat[1]), sed hic error scholiastæ est, qui Lenæonem e ληνῷ, prelo, deriuans mensem torcularium esse credidit. cum uuæ pæne statim uindemia facta premerentur (u. Hes. op. 609 sqq.), multum non intererat, utrum uindemiam an pressuram ut causam afferret, cur e prelo nomen petitum esset; εἰσκομίζεσθαι εἰς τὸν ληνόν fere intellexit. ea autem, quæ Hesiodus de Lenæone, mense hiemali, tradit cum hac explicatione consocianda erant. cum illis posterioribus temporibus uindemia initio Nouembris demum finiretur (Plin. N. H. XVIII § 319) et hoc mense frigus quoque et tempestates hiemales inciperent, eodem mense uuas percipi et hiemis initium esse haud inepte excogitauit scholiasta. uerum autem tempus Lenæonis non cognouerat; ut Plutarchus coniciens uana similitudine uerborum in errorem inductus est.

Multo breuiores Tzetzes (IV) et Moschopulus (V) sunt ad l., qui hoc enuntiatum omiserunt et cum etym. magno Ambrosiam, festum Bacchi, afferunt — loquitur Tzetzes etiam de uindemia — sed ea quæ habent cum ceteris consentiunt. id quod et. magn. præbet, mensem a festo, cui nomen Ambrosia erat, traxisse nomen inep-

[1]) Infra in initio tertiæ partis de tempore uindemiæ agam.

tum est, ut ibi legitur. nam ab Ambrosia Lenæonis nomen non potest esse deriuatum. Tzetzes et Moschopulus rem paulo prudentius explicare conati sunt, qui deo prelorum (τῶν ληνῶν) Ambrosiam esse celebratam dicunt, de quo quid cogitandum sit, ualde dubito [1]). unde Ambrosia prouenerit, quæue fuerit, plane nescitur. cum festum, ex quo mensi nomen Lenæonis inditum est, nimirum Lenæa sint, primum scriptum esse ἥ ἐπειδὴ Διονύσῳ ἐποίουν ἑορτὴν Λήναια ἐν τῷ μηνὶ τούτῳ et glossam marginalem uel interlinearem ἦν Ἀμβροσίαν ἐκάλουν additam deinde nomen uerum e loco mouisse suspicari licet, cum autem res plane obscura sit, iudicium cohibere cautum est.

Peius habita est pars prior glossarum. mendacium scholii Hesiodei ὄνομα μηνὸς κατὰ τοὺς Βοιωτούς iam tetigi, quod quomodo extiterit, et. Gud. aperit, quod addit κατὰ δὲ Ἴωνας Ληναιών, ex quo Boeotos aliud ac Lenæonis nomen habuisse glossam, ex qua hoc petitum est, tradidisse apparet. quare emendatio certa est Ληναιών· ὄνομα μηνός. (hæc est glossa Suidæ (VII) κατὰ τοὺς Βοιωτοὺς ⟨Βουκάτιος⟩, κατὰ δὲ Ἴωνας Ληναιών. auctor scholii Hesiodei in initio id fere legens, quod et. Gud. habet, idque peruersum esse animaduertens, ut ineptiis mederetur, praue κατὰ δὲ Ἴωνας Ληναιών deleuit, ut glossa recte se habere saltem uideretur; remedium autem errore peius erat. hæc et. magnum plane omisit; cum scholio Hesiodeo in ueriloquio uerbi βουδόρα consentit.

Ægrius de mense, quocum Lenæo comparatur, iudicatur, cum alii alia habeant. schol. Hes., quod ceteris plenius, sed non antiquius esse uidetur hoc omisit; et.

[1]) I. de Prott Ath. Mitth. XXIII, 223 Ambrosiam diem primum Lenæorum fuisse coniecit, quod ualde incertum est. hoc nomen auctoritate Plutarchi certo non nititur, qui locum mensis tantum definire studet. cetera alii addidere; quam puri fontes fuerint, nescimus.

magnum et Gud. suo utrumque modo mensem definiunt, magnum mensem ægypticum Choeac, Gud. romanum Ianuarium afferens; utrumque Tzetzes recepit, quamquam ut iam exposuere uiri docti, inter se non conspirant, cum Choeac in ratione temporis describendi, qua usi sunt Alexandrini, a die XXVII. Nouembris ad diem XXVII. Dec. pertinuerit — hunc locum Choeac anni mutabilis ægyptici habebat, cum Augustus 26 a. Chr. n rationem quæ alexandrina uocatur, institueret; deinde procedebat, ut ex c. 200 p. Chr. n. primus dies Choeacis in quartum Octobris iuliani incideret —. re uera quondam 150 a. Chr. n. fere Choeac in Lenæonem ueterem incidebat; quare mensis recte se habet, si glossam et. magni e tam uetere ætate prouenisse uel ex hemerologio illius ætatis desumptam esse credere licet. mensis, quem et. Gud. affert, eo magis mirus uidetur, quod falsus non est. Februarium enim potius expectares, in quem Lenæus anni asiani solaris et Lenæo posteriore ætate incidebant [1]). quid de hoc iudicandum sit, nescio; sed ad fontem ueterem, e quo cetera petita sunt, quæ scholia et glossæ ha-

[1]) Steph. Thes. ed. Lond. tom. ext. 710 menses attici enumerantur cum romanis ita comparati, ut afferatur romanus secundus post eum, quem ratio uetus poscit: Ἑκατομβαιών (ὁ καὶ Κρόνιος) ὁ Σεπτέμβριος κτλ., quod eo explicatur, quod hoc inter 226 et 377 p. Chr. n. scriptum est, quo tempore menses attici tales locos tenebant. (Unger p. 766 sqq, aliter Ideler Chron. I, 418 et Boeckh ad CIG 3664, quibus Unger præferendus est). sequitur Ληναιών ὁ καὶ Ποσειδεών ὁ Φεβρουάριος, Γαμηλιών ὁ Μάρτιος. hic Lenæo mensis asianus est, qui a. d. IX. Kal. Febr. incipiebat; quare recte cum Posideone attico eius temporis comparatur. sed cur hic et Cronius soli inter mensis atticos inserti sint, non liquet eodem loco menses macedonici cum romanis comparantur. Gorpiæus est Sept. etc. Peritius Febr. etc. e lapide Prienensi scimus paulo a. Chr. n. Peritium Ianuario respondisse (u. infra p. 29 a. 1); deprehenditur igitur hic quoque idem recessus mensium.

bent, hæc mensium nomina non pertinent, cum alia aliud indicet. forsitan coniectanea sint; forsitan e uetere ac bono calendario petita sint; quare summa cautione opus est, neque quicquam, quod aliter confirmari non potest, admittendum est. exemplo nobis est Tzetzes, qui ad l. menses aliquot populorum enumerans doctrina gloriari uoluit, quod haud bene euenit, ut recte de eo Heinsius ad l. dixerit: »nugatur miserrime in atticis et hebræis mensibus». errores omnes huius nugatoris male docti ratione ac uia explicare irritum est. ut exemplum afferam, quamquam primum Lenæonem Ianuarium esse dixit, sine dubitatione pergens Lenæoni uindemiam attribuit. si cui explicationem uidere libeat, ad Gilbertum p. 21 relego. ea tamen, quæ p. 20 de Choeace et Ianuario dicit, uix credere possum. inuenit Tzetzes utrumque mensem allatum eosque deinde composuit eos eosdem non esse non considerans

Illis uerbis scholii Tzetzæ, quæ editionis Trincauelli auctoritate tantum utuntur, Gaisford autem non habet, quod ea scilicet in libris suis mss. non inuenit, quæ mensem Lenæonem appellari ὅτι τὰ Πιθοίγια ἐν τούτῳ ἐγίνετο perhibent, magnam fidem nemo habere potest, cum ne Tzetzes quidem, sed posterior nescioquis ea addidisse uideatur. Fritzsche tamen I p. 26 sq iis inprimis nititur! festum Pithoegiorum mira sane causa est nominis Lenæonis, quæ intellegi non potest, nisi scriptor Pithoegia omne festum uini gratia celebratum uocatum esse credidit. nam fieri non potest, ut Lenæoni nomen e die Anthesteriorum inditum sit, et si quis id probet, Anthesteria Lenæone i. e. Gamelione acta esse ei necesse est concludere, quod nemo, credo, sibi in animum inducet.

Omnium glossarum et scholiorum, iń quibus de Lenæone agitur, antiquissimum uerissimum, cetera, quanto recentiora, tanto peiora esse nec mensem accurate defi-

nire uidimus; Proclum, optimum in hac re auctorem, secuti sumus, qui quomodo cum fastis ionicis consentiat, quos e lapidibus colligimus, nunc exquiramus.

De fastis ionicis.

De his Bischoff p. 390 sqq. disputat, et paulo ante eum Arminius Clodius Halensis a. 1882 de iis dissertationem scripsit. mensium deliacorum Homolle Bull. de corr. hell. V, p. 25 sqq e titulo l. l. VI. p. 6 sqq publici iuris facto hunc instituit ordinem:

Deli	Athenis	Deli	Athenis
Hecatombæo	Hecatombæo	Lenæo	Gamelio
Metagitnio	Metagitnio	Hierus	Anthesterio
Buphonio	Boëdromio	Galaxio	Elaphebolio
Apaturio	Pyanopsio	Artemisio	Munychio
Aresio	Mæmacterio	Thargelio	Thargelio
Posideo	Posideo	Panemus	Scirophorio

e titulo CIA II, 814, l. 1 sqq (Ol. 101, 2 = 376/5 a. Chr. n.) Thargelionem atticum et deliacum eundem esse mensem constat, et in titulo inedito ab Homollio l. l. p. 27 commemorato Panemus cum Scirophorione confertur, ut, cui mensi attico deliacus quisque responderit, plane constet. quod autem CIA I, 283 l. 14 (Ol. 86,3 = 434/3) χρόνος ἄρχει Μεταγειτνιὼν μὴν Ἀθήν[ησιν ἄρχοντος Κράτητος (suppl. certum) ἐν] Δήλῳ δὲ Βουφονιὼν μὴν ἄρχοντος Εὐπτέρου. mensis deliacus Buphonio cum attico Metagitnione comparatur, Homolle male excogitauit Buphonionem deliacum partem posteriorem Metagitnionis attici et priorem Boëdromionis comprehendisse, quod Clodius l. l. sine negotio refutauit ueram causam eam esse ostendens, quod ratio intercalandi Deli alia erat atque Athenis. Ol. 86, 3 annum intercalarem Athenis, Deli non intercalarem Clodius posuit, quo facto anno sequente Ol. 86, 4 Meta-

gitnio in Buphonionem incidit. in hoc paulum errauit; nam Metagitnionem in Buphonionem incidisse Cratete archonte Ol. 86, 3 constat, neque Ol 86, 3 Athenienses intercalauerunt, ut Boeckh computauit (N. Jahrb. f. Phil. N. F. Suppl. I, p. 1 sqq, conspectus annorum p. 27), neque Ol. 86, 4 intercalaris erat; quamobrem anno hos præcedente Ol. 86, 2 intercalatum esse necesse est. ergo anni intercalares ita describendi sunt, ut Ol. 86, 3 Metagitnio in Buphonionem incidat. quomodo menses inter se responderint, ex hoc conspectu apparet:

	Deli	Athenis
Ol. 86, 2 = 435/4 a. Chr. n	Hecatombæo	Hecatombæo
	|	|
	Posideo	Posideo prior
	Lenæo	Posideo posterior
	|	|
Ol 86,3 = 434/3, Cratete archonte Athenis.	Metagitnio	Hecatombæo
	Buphonio	Metagitnio

hæc res igitur rationes Boeckhii uicissim confirmat. uidemus igitur sæculo quinto a. Chr. n. Lenæonem deliacum Gamelioni respondisse; ergo E. Bodensteiner Lenæonem secundum post solstitium mensem fuisse rem certissimam esse non recte affirmat (Blätter f. d. (bayr.) Gymn. XXXI p. 219) nec fastos ueteres, quorum exemplar deliaci sunt, cognouit.

De fastis recentioribus melius quam ceteri, quos si quis uidere cupiat, Bischoffium et Clodium inspiciat, cyziceni cogniti sunt, quos Boeckh p. 69 sqq. et Gilbert p. 22 adhibentes Lenæonem Gamelioni respondisse concluserunt. ad eos definiendos maximi est momenti CIG 3664, e quo titulo Posideonem Lenæonem Anthesterionem hoc modo se excepisse apparet, et hunc ordinem lapis nuper repertus confirmat, quem edidit Lolling Ath. Mitth. XIII, 304 et accuratius Mordtmann ib. XVI, 437. Ca-

lamæonem Panemus subsequitur CIG 3663, Artemisionem Taureo Ath. Mitth. VI, 45, II b. præterea cogniti sunt Cyanopsio CIG 3662, Apatureo CIG 3661, Thargelio Ath. Mitth. VI, 42, I b. menses Cyzicenos et aliarum coloniarum Mileti enumeratos u. apud Lollingium l. l. ut ordo instituatur, alii fasti ionici adhibendi sunt. Sami Cyanopsionem Apatureonem Posideonem hoc ordine dispositos scimus, Taureo autem ibi Anthesterionem subsequitur, cf. Kirchhoff Monatsber. d. Ak. d. Wiss. zu Berlin 1859 p. 739 et Ahrens Mus. Rhen. 1862 p. 329 sq. his collatis Lolling l. l. ordinem descripsit, quem Bischoffium secutus ita mutaui, ut Thargelioni locum solennem adscripserim: (Boëdromio?) Cyanopsio Apatureo Posideo Lenæo Anthesterio Artemisio Taureo Thargelio Calamæo Panemus (Cronio?).

Cyzicenos anno solari asiano usos esse Boeckh ad CIG 3664 coniecit, sed Gilbertum p. 23 menses eorum lunares fuisse recte statuisse puto, quem uide. annum ad normam lunæ serioribus quoque temporibus descriptum esse satis constat. Smyrnæos lunares habuisse menses ex Aristidis rhet. serm. sacr. I p. 280 Dind., ubi uoce νουμηνία utitur, Gilbert l. l. conclusit; quod, cum νουμηνία etiam de anno solari adhibeatur (cf Ideler Chronol. I, 172; decretum de anno asiano instituendo Ath. Mitth. XXIV, 288 sqq. l. 74 = Kalendæ, cf. l. 75. l. 21 νέα νουμηνία primus dies anni), quamquam uerisimile certum non est. Tyranos autem lunam secutos esse constat [1]). quod autem titulus cyzicenus CIG 3664 tri-

[1]) Hoc Theodorus Mommsen ad CIL, III, 1, 781 (p. 148) et Latischew Inscr. ant. sept. or. P. Eux. p. 22 uiderunt. alius titulus diem XXX. Artemisionis a. d. III. Kal. Mai, i. e. XXVII. Apr. anno 181 p. Chr. n. fuisse testatur (Latischew, titulus secundus l. 18 sqq.), ille (Latischew, titulus tertius l. 34 sqq. = CIL III, 1, 781) diem VIII. Lenæonis a. d. XIII. Kal. Mart. i. e.

mestre, quod solstitium hiemale subsequitur, comprehendere uidetur — quod si ita est, Posideo, non Lenæo locum post solstitium habet — et quod Aristides l. l. Posideonem ut mensem maxime hiemalen, i. e. qui solstitium subsequitur, sed Lenæonem ut mitiorem describit, Gilberto negotium exhibet. nam ex his Lenæonem secundum post solstitium mensem esse colligit. Aristidem sic intellegere necesse non est, sed de mensibus cyzicenis Boeckhio ad l. in CIG credendum est. et Tyræ quoque eo modo rem se habuisse uidimus. res eadem est, quam in fastis atticis et boeoticis cognouimus. ionicos fastos antiquiores e Delo tenemus, et in his menses locos proprios tenent, ut Lenæo primus post solstitium sit mensis. iis temporibus, cum tituli cyziceni et tyrani insculperentur — cyziceni alteri p. Chr. n. sæculo medio tribuuntur — et attici et boeotici menses unum mensem recesserant, ut Gamelio secundus post solstitium esset mensis ut Lenæo cyzicenus et tyranus. itaque hic recessus mensium, quem Athenis in Boeotia in oppidis ionicis inuenimus, anno

XVII Febr. a. 201 p. Chr. n. fuisse indicat. incepit ergo Tyræ Artemisio a. 181 a die XXIX. Mart. et Lenæo a. 201 a die X. Febr. Lenæus anni solaris asiani a die XXIV. Ian. incepit et Artemisius a die XXIV. Mart. si inscriptiones conferas, inter diem XVII. Febr. et XXVII. Apr. annus iulianus LXVIII dies habet; inter diem VII. Lenæonis et XXX. Artemisionis sunt dies LXXX, e qua ratione diem certum anni Tyrani aliis annis in diem alium anni iuliani incidisse apparet, quod non, nisi menses tyrani lunares fuerunt, fieri potuit. sed hoc quoque fatendum est ne cum luna quidem Tyranos conspirare. nam secundum rationes, quas amicus harum rerum peritus me rogante instituit, a. 181 nouilunium erat die II. Apr. (I. Art. = XXIX. Mart.) et a. 201 die XXI. Febr. (I. Len. = X. Febr.). hæc differentia satis magna est. Lenæo autem Februario respondisse uidetur, quod rationi Ungerianæ aptum est. item Artemisio Aprili respondebat, cum antea Martius fere fuisset ut Cyzici, ubi Elaphebolio est, quamquam in aliis oppidis Anthesterio est.

lunari Græcorum communis fuisse uidetur. Lenæonem autem semper eundem atque Gamelionem fuisse certo constat.

Ad postremum annus solaris asianus, qui mensem Lenæum habet, breuiter commemorandus est. quomodo institutus sit, lapis Prienensis nunc nos docet, de quo una cum ceteris titulis, qui ad rem pertinent, decretum restituens disputauit Th. Mommsen, Ath. Mitth. XXIV, 270 sqq. hic lapis non ea nomina mensium habet, quæ hemerologium florentinum Asianis ascribit, sed uetera macedonica (Dio excepto, qui Καῖσαρ appellatur), quæ hem. fl. Ephesios habuisse tradit. porro titulus, quem Wood edidit Discov. at Ephesus app. 6, n. 1 col VI, ubi l. 77 dies definitur et πρὸ η′ Καλανδῶν Μαρτίων et μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος β′, hoc quoque nomen uetus Ephesios tum retinuisse nos docet, quod hem. fl. abest. titulus non ante Tiberium insculptum esse demonstrat nomen πρυτάνεως Τιβ. Κλ. Ἀντιπάτρου Ἰουλιανοῦ. fasti asiani sunt; nam I Anth. est a. d. IX. Kal. Mart. maioris momenti nobis est quærere, quomodo in suos post solstitium locos uenerint menses asiani, qui uetera nomina habent. nam secundum hem. fl. Posideo a die XXIV. Dec. et Lenæus a die XXIV. Ian. incipit; Anthesterionem ab a. d. IX. Kal. Mart. incepisse uidimus. e lapide Prienensi discimus ueteres fastos in nouos ita mutatos esse, ut Peritio dies XIV tantum darentur et Dystrus a. d. IX. Kal. Febr. inciperet[1]). quæritur, fastine

[1]) Incepit ergo postremus mensis lunaris a die X. Ian., qui, cum his temporibus tres dies intercalares mendose additi essent, re uera dies VII. Ian. est. quoniam Peritius, mensis lunaris, a nouilunio fere incipere debet et fasti asiani non ante 10 a. Chr. n. neque multo post 5 a. Chr. n. instituti sunt, hac re diligentius definiri potest, quo anno fasti mutati sint. Mommsen l. l. coniecit 9 a. Chr. n., quod fieri non potest, quia nouilunium hoc anno die XXIV. Ian. erat. 10 a. Chr. n. nouilunium erat die V. Ian., sed tum Paullus nondum in Asia esse potuit, quare annus

ueteres in nouos eodem modo mutati sint in iis oppidis, quæ nomina quædam ionica mensium retinebant. in conspectu Ungeri p. 764 sq, ubi annos atticos 129 a. Chr. n. — 191 p. Chr. n. secundum suam rationem descripsit, Ol. 193,3 a die XVII. Iul. 6 a. Chr. n. et mense intercalato Gamelio a die VIII. Febr. 5 a. Chr. n. incipit. si Asianos ita annum egisse sumimus, Lenæo a die VIII. Febr. incipere debebat, sed Posideone altero breuiore facto a die XXIV. Ian. initium cepit ut Dystrus. cum autem ratio intercalandi ualde uariet, fieri potest ut Posideo a die XI. Dec. et Lenæo a IX. Ian. inceperit. tum autem Asianos ea ratione usos esse sumendum est, ut Posideo usque ad diem XXIV. Ian. continuaretur et Lenæus anni solaris ab eo die initium caperet, nisi forte alii anni tempori mutationem ascribere alicui placeat. ratio tamen eadem manet. utut est, locum posteriorem Lenæus solaris antiquitus non habebat, sed recessu mensium in eum ueniebat, ut Posideo et Anthesterio (apud Woodium) asiani, qui etiam e locis ueteribus cesserunt. Hecatombæus tamen excipitur, qui a die XXIV. Iun. incipiebat, quod quomodo factum sit non liquet, sed ad hanc rem nihil ualet.

Tempusne festi nomenque mensis mutata sint, quæritur.

Quoniam Lenæa Lenæone mense acta sunt et Lenæo idem atque Gamelio mensis est, Lenæa Athenis Gamelione

posterior eligendus est. 7 a. Chr. n. nouilunium erat die II. Ian. et 5 a. Chr. n. die IX. Ian. hic annus, quia nouilunium proxime ad diem VII. Ian. accedit, præferendus est; mensem ante nouilunium incipere nihil interest. annum hunc fuisse etiam magis uerisimile fit eo, quod intercalaris Romæ erat, cf. Th. Mommsen l. l. p. 285.

mense celebrata esse Boeckh conclusit, quam sententiam ab aliis impugnatam corroborauit. concessit ei hoc Gilbert p. 36 sqq, causam autem, cur mensis nomen Atheniensis »mutatum« sit, quærit. cum Lenæa maioris momenti fuerint, quam quæ aliud festum obscuraret, quod nomen suum mensi inderet, et cum hoc festum, quod uiri docti nunc Gamelia appellant [1]), tam ambiguum sit, ut Gilbert id recentiore ætate ab iis fictum esse efficere conari possit, aliam causam idoneam mensis nominis mutandi quærit, quam eam esse putat, quod Lenæis in Anthesterionem dilatis nomen Lenæonis sensu priuatum in aliud mutatum est. exemplum affert; Apaturia enim, quæ Herodotus I, 147 signum originis ionicæ esse tradit, multis locis in mensem sequentem dilata esse constat. delius mensis Apaturio attico Pyanopsioni respondet, in quo

[1]) Hocne ex festo nomen Gamelionis ortum sit, ualde dubito; ueteres id nomine Gameliorum appellauisse nusquam traditum est, sed schol. ad Hes. op. 784 nomen θεογάμια est et apud Photium, cui glossam maximi momenti debemus s. u., ἱερὸς γάμος; pergit: Ἀθηναῖοι ἑορτὴν Διὸς ἄγουσι καὶ Ἥρας, ἱερὸν γάμον καλοῦντες. ne quo mense quidem celebrarentur sacræ nuptiæ, traditum est. potius quam de hoc festo cogitauerit quispiam de sacro, quod Plutarchus commemorat præc. coni. 27 (οἱ τῇ γαμηλίᾳ θύοντες Ἥρᾳ), et de epulis, quas phrateribus nouus maritus dabat, cum apud eos uxorem introducebat, quæ τὰ γαμήλια uel ἡ γαμηλία uocabantur (ex. c. Dem. in Eub. 69 καὶ γὰρ ὅτι κατὰ τοὺς νόμους ὁ πατὴρ ἔγγιμε καὶ γαμηλίαν τοῖς φράτερσιν εἰσήνεγκε, μεμαρτύρηται. cf. ib. 43 et glossam Hesychii γαμηλία) γαμηλία etiam nuptias significat, Isæus 45,33; 46,5. credo equidem mensi hoc nomen inditum esse, quod μὴν γαμήλιος erat, in quo nuptias celebrare solebant Athenienses. e uoce γαμήλιος terminatione, in quam omnia mensium nomina ionica exeunt, — ών deriuatum est. glossa Hesychii Γαμηλιών· ὁ τῶν μηνῶν τῆς Ἥρας ἱερός eo, quod hic mensis nuptiis et sacris earum causa Iunoni factis proprius erat, multo melius quam eo, quod tum Theogamia acta sunt, explicatur. quod enim festum uno mensis die deæ celebratur, hic mensis deæ sacer non est.

Athenienses Apaturia celebrabant. Sami autem et Cyzici Cyanopsionem Apatureo subsequebatur (u. supra p. 27), ex quo Samios et Cyzicenis Apaturia eo mense, qui Mæmacterioni attico respondebat, cui festi nomen indebant, uno mense post Athenienses et Delios egisse apparet. quando tempus Apaturiorum mutatum sit, nescimus; credo autem Samios ea suo mense celebrauisse, antequam e festo mensis nomen deriuauerunt. aliam rationem Gamelionis esse Gilbert non considerauit. si enim festum Lenæa et mensis, cum agebantur, Lenæo appellabatur, nomina alterum alterum seruabant, ut nec festum differri nec nomen mensis immutari posset. quantam religiositatem in rebus sacris Græcos obseruauerint, bene scimus.

Fastos ionicos inter se satis dissimiles fuisse statim tabula inspecta elucet, in qua eos Bischoff composuit (p. 414 sq.). nullum pæne mensem alii Iones non aliter appellabant; ex. c. Elaphebolionem Delii Galaxionem, Samii aliique Taureonem, Cyziceni Artemisionem et Munychionem Delii aliique Artemisionem, Milesii Calamæonem uocabant[1]), ut alia taceam. apparet igitur fastos

[1]) Præcipue nomen mensis, quem Artemisionem Iones plerique appellabant, Athenis proprium Munychionis obseruandum est, quod e festo Dianæ Munychiæ eo mense celebrato ortum est. quamobrem necesse est τετρακώμους (Pollux IV, 105) cum Munychia sub Atheniensium imperium redactos esse et cultum Dianæ Munychiæ urbem recepisse, antequam hoc nomen mensi inditum est. præterea huius et præcedentis mensium nomina e cultu Dianæ ducta esse uidentur Calamæone milesio et Galaxione delio, de quo parum constat, exceptis. sed ad Magnam Matrem eum referre, cuius Galaxia festum Athenis actum esse e CIA II 470 et glossa Hesychii nouimus, ualde cunctor. potius Apollo Galaxius (Procl. chrest. ap. Phot. p. 321 b 31 Bekker), qui gregum patronus erat (cf. Plut. de Pyth. or. 29) adhibendus est. forsitan Diana quoque cognomen Galaxiæ habuerit, cum in eius tutela pecus uigeret, qua de causa Ταυροπόλος Ταυροφάγος Ταυρώ cognominata est (Wernicke in enc.

suo quemque modo populos instituisse nec mensium nomina tam uetera esse, quam plerique credunt, neque a frequentissimis testis ducta esse. interdum festum, a quo mensis nomen trahere potuit, abest uel tam leue est, ut mensi nomen debere uideatur. nam hoc quoque, quod uiri docti neglexerunt, fieri potest. quamobrem neque e nomine mensis festum antiquitus traditum repetere [1]) neque, quod uetus festum mense quodam celebrabatur, ex hoc mensi nomen necessario inditum esse statuere licet. itaque omnes populos, qui Lenæa agebant, mensem, cum agebantur. Lenæonem appellauisse necesse non est; sed quominus alii nomen ex alia re ductum indiderint, nihil obstat.

Gilberto, qui Lenæonem Gamelioni respondere statuit, ut cum hac re sententiam suam consociaret, quæ Lenæa Anthesterioni attribuit, Lenæa Athenienses e Lenæone i. e. Gamelione in Anthesterionem transtulisse ponere necesse erat; et ut hoc efficeret, nomen Lenæonis Athenienses, quod Lenæa in alium mensem transtulissent,

Paulyi et Wissowæ II 1345 sq). secundum tamen cognomen ad pecudum pastum uix pertinere uidetur; multo sæpius quam hoc cetera occurrunt, quæ in multis oppidis ionicis inueniuntur, quæ enumerantur l. l. 1399 sq et apud Prellerum et Robertum l. 313 ann. 1. apparet igitur cultum deæ ταυροτόλου apud Iones frequentem fuisse; quare ex hoc Dianæ cognomine Taureoni mensi nomen potius inditum esse puto, quam ut ad Neptunum id referam ut dubitans quidem Preller—Robert p. 570 ann. 4. accedit quod Taureo et Artemisio uicissim modo Elaphebolioni modo Munychioni respondent, ut idem fere, mensem Dianæ esse sacrum, significauisse uideantur.

[1]) Ne quis propter hæc uerba argumentum, quod Lenæa Lenæone mense i. e. Gamelione celebrata esse eo demonstrat, quod ex Lenæis mensis nomen ductum est, me imminuere putet, hoc obseruatum uolo mensem et festum, si nomen inter se communicant, separari non posse. si festum uetus extat, non semper, interdum tamen ex eo nomen mensis deriuatum est.

in aliud, Gamelionem, immutauisse contendit. (p. 39 contra Boeckhium dicit: »schon die Änderung des Monatsnamens Lenæon enthält einen bestimmten Beweis, dass diese Verlegung des Festes wirklich stattgefunden hat»). hoc, quod ante eum Rinck Relig. der Hell. II, 86 inuenit et sic exposuit, grauissimus est locus argumentationis eius, qui si falsus reperitur, Lenæa Gamelione semper acta esse necessarie sequitur. hæc mea quidem sententia est. nam mensi, qui solstitium subsequebatur, Athenis numquam nomen Lenæo erat, sed semper Gamelio appellabatur; nomen mutatum esse ad rem suam demonstrandam Gilbert finxit. quod aliter sic exprimi potest: Ionibus numquam fasti iidem communes erant, sed ciuitates suo quæque modo fastos instituebant et mensibus nomina indebant, neque aliunde fastos perfectos atque concinnatos sumebant. ut tot mensium nomina communia esse explicetur — Posideone tamen excepto nullus inuenitur mensis, cui in alia ciuitate aliud nomen inditum non sit — Iones ab origine eadem mensium nomina eosdemque fastos habuisse statuere opus non est, primum quod ex similibus similia semper existunt; e festis omnium Ionum communibus nomina mensium ducta sunt, quibus plerique Iones utuntur, ut Lenæo Apaturio Cyanopsio; mensem, cum tota terra floribus inuestitur (etym. magn. s. u. Ἀνθεστήρια), plurimi Anthesterionem appellabant. deinde causa similitudinis mutuatio quoque fuit. nam populus, qui nondum fastos absoluit, nomen, quo uicini utebantur, in suum usum transtulit. exemplum luculentum præbent Delii et Samii, qui Panemum mensem a Doribus petierunt, ut iam terminatio -ος a ceteris discrepans docet [1]). hoc modo

[1]) Quamquam oblocutus est Ahrens Mus. Rhen. XVII, 336 sqq, Panemus nomen ionicum non est. quod Sami locum solennem Panemus non tenet, sed Thargelioni respondet, id

uetus nomen nouo non permutabatur, sed mensi, qui nomine carebat, nomen indebatur. quodsi eosdem fastos Iones antiquitus habuisse sumimus, explicari non potest, quomodo tanta uarietas postea extiterit. itaque fastos ionicos primigenios, qui numquam fuere, restituere inane est, et quanto plura nomina cognita erant, tanto magis conspectus uariabant, in quibus uiri docti eos descripserunt (Bergk, Beitr. z. gr. Monatskunde p. 29 sqq, C. Fr. Hermann, Lehrb. d. gr. Alt. II § 54, 3, Ahrens, Mus. Rhen. XVII, 359 sqq). si nunc nomina multa ac dissimilia inspicies, quæ Bischoff et Clodius congesserunt, hæc conamina irrita esse facile uidebis. minime cyziceni quidem fasti primigenii fuerunt, ut Gilbert p. 25 putat, nec ratiocinatione, qua ibi utitur, fastos communes Ionibus fuisse demonstrari potest. hæc sunt uerba eius: »Es war absolut nothwendig, dass die ionischen Städte, welche schon zu Herodots und jedenfalls in noch viel früherer Zeit gemeinsame Feste hatten, auch einen gemeinsamen Festkalender besassen und wenn es auch nicht nothwendig war, dass die Monatsnamen überall dieselben waren, obgleich wir diese Übereinstimmung derselben im Grossen und Ganzen jedenfalls annehmen müssen, so mussten sie doch einen gleichmässig geregelten Jahrescyklus haben. Anzunehmen dass derselbe Monat in dieser Stadt einer andern Zeit angehörte als in jener scheint mir unmöglich.» hæc in uniuerso uaga ne in parte quidem uera sunt. nam Taureo ut Artemisio apud alios Elaphebolio, apud alios Munychio erat. sic Panemus quoque se habet (supra p. 32 ann.). dummodo, in quem mensem feriæ communes inciderent, Iones tenerent,

ionicum eum esse non efficit; si enim ionicus esset, multo ægrius intellegeretur, cur loco falso insertus esset; nec Delii Doribus consentiunt. apud Dores enim semper Boëdromioni, Deli autem Scirophorioni respondet.

iisdem mensium nominibus opus non erat. porro in eo, quod ad postremum dicit Gilbert, sententia ea inesse uidetur, ut ratio intercalandi apud omnes eadem fuerit, quod equidem non affirmauerim. nam Delii alio anno atque Athenienses intercalabant (supra p. 25 sq.). quamquam omnes Græci ludos Olympiacos ceterosque celebrabant, neque iisdem mensibus neque eadem ratione intercalandi opus erat; eodem modo Iones tempus suarum feriarum computare poterant.

Maximi momenti ad hanc rem cognoscendam esset, si, quo tempore nomina mensium inuenta essent, compertum haberemus. Homerus iis non utitur, uocem autem, quæ mensem significat, sæpius habet ut τ 307 τοῦ μὲν φθίνοντος μηνός, τοῦ δ' ἱσταμένοιο, sed eius ætate menses nomina non habuisse ex eo concludere non licet. de Hes. op. 504 satis dixi. ex iis, quæ modo disserui, apparuisse spero colonos nomina secum non duxisse, sed suo quosque loco inuenisse.

Ad Lenæonem reuertamur. Athenis igitur alia ratione nominis indendi prælata Lenæa respecta non sunt, quamquam hoc mense ibi ut in aliis urbibus agebantur, sed mensis Gamelio appellatus est. exempla similia haud pauca sunt, quorum duo iam attuli. ut unum addam, mensem, cum et Thargelia et Plynteria celebrabantur, plerique Thargelionem, Chii autem Plynterionem appellabant. si quis postulet, ut nomen a Lenæis ductum sit, quod eæ ueteres et sacræ feriæ erant, cur, quæso, Scirophorio a Buphoniis, festo sacerrimis et uetustissimis ritibus peracto, appellatus non est? haud pauca exempla, quale hoc est, addi possunt. permutationem nominis ad rem propositam efficiendam Gilbert excogitauit; [1]) aliter

[1]) Iisdem de causis Bergkio assentire non possum, qui Griech. Lit. gesch. III, 17 Lenæis ex autumno in hiemem translatis nomen Gamelionis in Lenæonem mutatum esse putat.

res se habet de Apaturiis (cf supra p. 31 sq), quæ aliis in oppidis aliis mensibus acta esse fasti demonstrant. hæc exceptio est, quæ non nisi certo constat, admittenda est. Lenæa autem alio tempore Athenis atque in aliis ciuitatibus ionicis acta esse in fastis nihil est quod indicet (cum fastis Proclus, auctor haud spernendus, consentit); quare, quoniam Lenæo Gamelioni respondet, sequitur, ut *Lencæa Athenis Gamelione mense acta sint.*

Cetera de temporibus Dionysiorum testimonia tractantur.

Non pauca testimonia de Dionysiis atticis præter scholia Hesiodea et ea, quæ ex iis pendent, ueteres nobis tradiderunt, ad quæ recensenda nunc transeo. quoniam terna sunt Dionysia (nam magna, quippe de quibus certo constet, non respicio), in idem festum bina collata esse cogitari potest; quare disputationem ita instituam, ut primum in Lenæa et Anthesteria, quæ res principalis est, deinde in Anthesteria et Dionysia agrestia, ad postremum in Dionysia agrestia et Lenæa inquiram, utrum idem sint festum necne. sic enim argumenta optime disponi credo, ne confundantur, si omnia festa simul tractentur.

Utrum Lenæa cum Anthesteriis coniungere liceat necne, quæritur.

De testimoniis, quæ ad Lenæa et Anthesteria seiungenda adhibentur.

Ante cetera ponendum est testimonium illud, quo hæc res tandem profligata est. ut fieri solet, cum aliquid magni momenti reperitur, hoc duo uiri doctissimi simul inuenerunt: A. Koerte, Mus. Rhen. LII p. 168 sqq et C. Wachsmuth Abh. d. sächs. Ges. d. Wiss XVIII, 1, p.

40. est titulus atticus CIA, II, 834 b (XVII) anni 329/8 a. Chr. n., qui Eleusine repertus primum a Paulo Foucart Bull. VII p. 387 sqq editus est. recensentur in eo rationes magistratuum quorundam, qui appellantur ἐπιστάται Ἐλευσινόθεν καὶ ταμίαι τοῖν θεοῖν. columna altera rationes ἐπὶ τῆς Πανδιονίδος ἕκτης πρυτανείας continet, quæ prytania, si ordo is erat, qui ab Aristotele πολ. Ἀθ. 43, 2 commendatur, inde a die III. Gamelionis usque ad VIII. Anthesterionis pertinebat. quia autem illis temporibus, cum hæ rationes perscriptæ sunt, eum ordinem fuisse certum non est, obseruandum est prytaniam sextam tribum Pandionidos paucis diebus ante inire potuisse; quoniam autem primam et alteram prytanias tricenorum senorum dierum fuisse e titulo ipso computari potest, primus dies, a quo Pandionidis prytania incipere potuit, primus est dies Gamelionis. ut breuiter dicam, necesse est prytaniam illam aut a I. aut a II. aut a III. Gamelionis die incepisse et aut V. aut VI. aut VII. Anthesterionis finiuisse. legitur pæne in mediis rationibus huius prytaniæ l. 46 — totæ l. 75 habent — ἐπιστάταις Ἐπιλήναια εἰς Διονύσια θῦσαι ΔΔ. quæ uerba antea male intellecta sunt, sed dubitari non potest, quin adiectiuum ἐπιλήναιος eandem habeat uim ac uerba ἐπὶ Ληναίῳ attributi loco posita — cf. ex. c. ἐπίγαιος Hdt. 2, 125 i. e. ἐπὶ γαίᾳ — paulo aliter de Prott Fast. sacr. gr. add. p. 45, quamquam res ipsa non mutatur. hæc igitur uerba ad Lenæa referenda sunt, quæ in titulis Διονύσια τὰ ἐπὶ Ληναίῳ ut uulgo apud auctores appellantur; u. Koertium l. l.; qua re cognita hæc uox, quæ, quasi sui iuris non esset, interdum a uiris doctis expulsa est, restituitur. sic Arist. πολ. Ἀθ. 57 liber ms Διονυσίων τῶν ΕΠΙΛΗΝΑΙΩΝ exhibet, quod editores uno animo in τῶν ἐπὶ Ληναίῳ mutauerunt ueram lectionem tuitus est Foucart Rev. de phil. 1895 p. 31 et nunc Wachsmuth

quoque l. l. Foucart hanc uocem in titulum, quem mox afferam, CIA, II, 741 (XVI) inferre uult, quod mihi maxime arridet. nam in frg. a l. 10 επι Λ]ηναιω[littera ultima deleta est, ut, quæ fuerit, nesciamus. in frg. b l. 4 tabula corporis inscr. typis impressa, quæ ductus litterarum lapidis imitantur, exhibet ΕΠΙΛΗΝΑΙΩΙΙ, quæ etiam uestigia litterarum ΩΝ esse possunt, non solum litterarum ΩΙΠ (i. e. ἐπὶ Ληναίῳ παρὰ κτλ.). in scholio ad Aristoph. Ach. 202 ὁ ἐπιλήναιος ἀγών iniuria in ὁ ἐπὶ Ληναίῳ ἀγών mutatur, de quo u. Koertium p. 170 et Wachsmuthium p. 40 a. 3. infra in eodem lapide l. 68 expensa lata esse legimus εἰς Χόας δημοσίοις ἱερεῖον (num.). κεράμια (n.), οἴνου δύο μετρηταὶ (n.)[1]. apparet igitur Lenæa et Anthesteria duo festa fuisse, non nomina tantum duo eiusdem festi. scrupulus alicui fortasse inici potest, quod pecunia, quæ festi celebrandi causa expensa est, ante Anthesteria numerata est — ultimus enim dies, in quem finis prytaniæ incidere potuit, septimus erat Anthesterionis —, sed pecunia in Haloa consumpta, quæ Posideone celebrabantur, (l. 8 μισθωτεῖ Ἀριμνήστῳ τῷ τὰς προσβάθρας Ἁλῴοις ποιήσαντι) in rationibus suæ prytaniæ inuenitur. faber, qui illas προσβάθρας fecit, post festum mercedem accepit; bos autem et aliæ res, quæ ad Choes celebrandos opus erant, ante festum comparandæ erant, et qui eos uenumdabant, pecuniam præsentem poposcerunt. porro V. prytania (CIA IV 2, 834 b I 37—59) empta sunt l. 47 ξύλα εἰς Ἁλῷα, ante ferias credo. itaque locis collatis Haloa parte posteriore Posideonis acta esse uerisimile est.

Sed licet quæstio hoc lapide profligata sit[2], cetera

---

[1]) Cum typi ad numeros græcos exprimendos mihi præsto non sint neque in nostra quæstione numeri ullius momenti sint, pro iis h. l. et posthac pono (num.) uel (n.).

[2]) Inscriptionem alio modo explanare non contigit. qua de re e studiis in πολ. Ἀθ. Francisci Groh (Pragæ 1898) in meum

testimonia in examen uocare et rationes Gilberti (et Bodensteinerii et Pickardii) denuo spectare operis pretium erit, ne quid argumentationis desit. primum locum iis testimoniis adsigno, ex quibus Lenæa festum sui iuris fuisse concludi potest. illa, quæ Wachsmuth l. l. commemorat, e quibus Iones insularum incolas Lenæa sua XII. Lenæonis die celebrauisse constat, ad Gilbertum non pertinent, qui Athenienses Lenæa ex hoc mense in sequentem transtulisse pro fundamento disputationis posuit. ego autem, qui Lenæorum tempus mutatum non esse me demonstrauisse spero, hæc maximi momenti esse duco, quia Lenæa attica ut ionica die XII. Gamelionis acta esse ex iis concludere licet. grauissima est inscriptio Myconensis sæpius edita ex. c. syll. Dittenb.[1] 373,[2] 615 (postremam collationem exhibet de Prott, fast. sacr. gr. p. 13 sqq), in qua l. 24 expressis uerbis præscribitur (Ληναιῶνος) δυωδεκάτει Διονύσωι Ληνεῖ ἐτήσιον. ad Lenæa Ionum deinde refertur Plin. N. H. II § 231: *Andro in insula templo Liberi patris fontem Nonis Ianuariis semper uini sapore fluere Mucianus ter consul credit*, si h. l. Nonas Ian. diei XII. Lenæonis parum accurate respondere sumimus.

Alius titulus recentioris ætatis, e quo Lenæa a Chytris — i. e. ab Anthesteriis, quoniam Chytri is est dies, cui ludi scænici Lenæorum attribuuntur — separata esse

---

usum hæc conuerto, quæ p. 37 sic fere luculentissime exponit: aliter Lipsius in scholis academicis rem explanat uerbis ἐπιλήναια εἰς Διονύσια θῦσαι eam significationem ascribens, ut ἐπιστάται Dionysiis sacrum perfecerint, quod epilenæa appellaretur. quibus Dionysiis? si epilenæa ad Anthesteria pertinent, post non paucos dies in Anthesteria nouum sacrum comparari mirum est, et Dionysia agrestia multo ante et magna multo post agebantur. quodsi epilenæa sacrum tantum significant, Athenienses ad Lenæa (τὰ ἐπιλήναια Διονύσια) id retulisse necesse est. quam ob rem ex hoc titulo apparet non modo non Anthesteria et Dionysia agrestia, sed ne Lenæa quidem et Anthesteria commiscere licere

apparet, quamquam iam Gilberto præsto erat, ab eo paucis uerbis dimissus est et postea quoque plus iusto neglectus est. hic est CIA III 1160 (XXII), qui ad res epheborum pertinet et anno 192/3 p. Chr. n. a Dittenbergero assignatus est. enumerat ephebos et magistratus eorum. regulum epheborum agonem Lenæorum, Chytros autem agoronomos ἐπιτελέσαι post nomina eorum additum est; quamobrem festum utrumque sui iuris fuisse debet, cum suis utrumque curatoribus ascribatur. Gilbert p. 151 titulum haud recte interpretatus est Acharnensibus Aristophanis collatis, in qua fabula Dicæopolis inter Lenæa et Choes mercatum habet [1]). dixit enim is agorano-

[1]) Mercatusne proprius Anthesteriis habitus sit (cf Mommsen Heort. p. 351 sq, Fest. Ath. p. 388 cum ann. 3 et 4), dubitare licet. mercatum instituentem Aristophanes Dicæopolidem non fecit, ut Anthesteria quam frequentissime et splendidissime celebrarentur, sed ut demonstraret, quot res bonæ populo affluerent, si Megarenses Boeoti aliique tum exclusi commercium cum Atheniensibus ut ante bellum haberent (cf. 519 sqq.). Lamachum delicias in Choes empturientem inducit (960 sqq.), quod Choes postea in scæna aguntur; i. e. hoc *post* res, non *propter* res est, ut dicitur. cetera quæ Mommsen l. l. affert ad mercatum quotidianum referenda sunt, nisi quæ Scylax p. 250 ed. Klausen habet: πλάσματα ὤνια ἐν τοῖς Χουσὶ τῇ ἑορτῇ; sed hanc glossam esse apparet, quam finxit nugator aliquis e uerbis præcedentibus male intellectis (ἔμποροι εἰσάγουσιν — — κέραμον ἀττικὸν καὶ χοῦς. τὰ γὰρ πλάσματα κτλ.) Ar. Ach. 764 ubi Megarensis χοίρους μυστικὰς uenditat (cf Mommsen Heort. p. 352 a. 3) ad artificium eius spectat, quo e puellis porcellos fecit (fere ut nos »mystiska grisar»). hic uersus etiam adhibitus est, ut Lenæa Anthesterione celebrata esse probaretur. nam porcelli mystici mysteriorum minorum causa, quæ post Anthesteria mense eodem agebantur, uenire dicuntur. quodsi nostra interpretatio admittitur — nisi ita locus intellegitur, facete dictum deletur — et si optimas suculas solas in mysteriis mactatas esse reputamus, ut hæc nota bonæ suis fuerit, hanc uanam suspicionem esse elucet. Ar. Nub. 864 ἐπριάμην σοι Διασίοις ἀμαξίδα die festo patrem filio crepundia emisse, non hoc die mercatum festi proprium habitum esse monstrat. nimirum

mos h. l. laudari, quod munere suo solenni Chytris functi essent, i. e. quod, ne quis turbas daret, cauissent et suum cuique locum in mercatu adsignauissent. non recte. nam primum agoranomi epheborum curatores securitatis et mercatus urbis non erant, et si fuissent, publicæ securitati per totum annum iis consulendum fuit; quamobrem nulla causa fuisset, cur hoc munere Chytris functi præcipue laudarentur. deinde hoc alio uerbo atque ἐπιτελεῖν exprimendum erat, quod etiam de regulo ludos Lenæorum perficiente dicitur et aliquem aliqua re perfungi et inprimis munus sacrum perficere significat. eodem modo utroque loco intellegendum est, nec tergiuersari licet; nam τοὺς Χύτρους ἐπιτελεῖν de iis, qui securitatem feriarum curabant, accipi non potest. porro titulus præter nomina nihil nisi ferias et epulas addit, quas magistratus ut regulus et agonothetæ curauerunt. cum h. l. agon non commemoretur, concludendum est agoranomos epheborum Chytris totis ephebicis præsedisse, qui quomodo hac ætate celebrati sint, nescimus. tum et Gilbert et Mommsen Heort. p. 369 obliti esse uidentur h. l. non de feriis totius ciuitatis, sed de ephebicis agi; itaque etiamsi Chytros ephebicos agaranomi epheborum curauerunt, publicis rex archon præsidere potuit ut antea. feriarum cura agoranomorum huic ætati optime conuenit; nam magistratus græci temporibus imperii romani ad similitudinem romanorum sæpe conformabantur, et agoranomi quidem curas et munera ædilium susceperunt, de quo u. Ricardum Haderli N. Jahrb. f. Phil. suppl. XV inprimis p. 61 sqq. inter hæc munera grauissima erat cura ludorum, quam agoranomi græci quoque sibi assumebant. u. ex. c. CIG 1058 l. 6 ἀγορά̣νομον φιλοτειμησάμενον μονομάχων ζεύγη ϗ et titulos multos, in quibus agoranomi

diebus festis uinum et crepundia et quæ ad festum opus erant magis quam aliis uenalia erant et emebantur.

laudantur, quod munere λαμπρῶς, φιλοτίμως, πολυτελῶς κτλ. functi sunt; cf. Haederli p. 65 sqq. ad quid hæ laudes pertineant, non liquet; uerisimile autem est agoranomos festa perfecisse uel ex. c. populo epulas dedisse. sic agoranomos epheborum atheniensium fine II. p. Chr. n. sæculi Chytros perfecisse optime explicari potest. quamobrem hic titulus nobis testimonio certo est hac quoque ætate Anthesteria et Lenæa binas fuisse ferias, quas confundere non licet.

Testimonium, quo Boeckh maxime nisus est, glossa quædam est (XI—XIV), quæ iisdem fere uerbis compluribus locis inuenitur. uariat tamen nomen mensis, cum Lenæa agebantur, ut Gilbert ansam addubitandi increpandique inuenerit. habent enim Hesychius s. u. Διονύσια (XII) et scholiasta Æschinis contr. Tim. 43 μηνὸς Ληναιῶνος, lex. rhet. anecd. Bekk. I p. 235, 6 (XI) Γαμηλιῶνος, scholiasta Platonis ad rem publ. p. 475 D (XIV) μηνὸς Μαιμακτηριῶνος. Gilbert hos quos dicit et alios ueros errores ut eum, quem scholiasta Platonis habet, hemerologiis et calendariis uitiosis attribuit, quale id est, quod extat Thes. Steph. ed. Lond. t. ult. p. 710, et id, quod Iriarte biblioth. Matrit. I p. 379 publici iuris fecit. florentinum et leydense quæ dicuntur uitiosa non sunt, ex quibus uidere licet, qualia sint hemerologia et calendaria: menses cum mensibus et dies cum diebus aliorum populorum comparantur. quamobrem errores tum demum existere possunt, si pro mense aliquo ponitur mensis alterius populi e calendariis petitus, qui mendose traditur. ex. c. si glossa

[1]) Hemerologia, quæ uide in Hist. de l'acad. des inscr. t. 47 (1809), singulos dies cum diebus singulis comparant nullis aliis rebus adiectis. calendaria, quæ Iriarte et Stephanus habent, nomina tantum mensium conferunt. calendaria proprie dicta — in libro Lydi de ostentis ed. Wachsmuth — diebus singulis ortus et occasus stellarum referunt et tempestates prænuntiant.

Λήναια Ληναιῶνος erat et scholiasta pro hoc mense minus noto Atheniensem inferre uoluit, fieri potuit, ut in hemerologio uitioso Lenæonem cum Mæmacterione comparatum inueniret et hunc praue inferret. quo autem mense Lenæa celebrata sint, in iis non traditur, sed hoc ex testimoniis ueteribus, scholiis lexicisque, petitum est. fastos quondam fuisse, in quibus feriæ suo quæque loco perscriptæ erant, non nego. certo fuere (fragmenta e lapidibus collexit de Prott), et ex iis attidographi et grammatici hauserunt, sed incommode accidit, ut nobis nulli seruati sint, ut eos negotio ac labore eoque sæpe incerto restituere cogamur. cum iam, qualia sint hemerologia, liquet, ad ea confugere licet, ut ratio reddatur, cur in glossis ex eadem origine ductis nomen mensis innouatum sit. sic res explicari potest: habebat glossa primum Γαμηλιῶνος. Lenæo mensis loci Hesiodei causa satis cognitus erat [1]), ut fieri posset, ut scholiasta quidam, qui doctrina ex hemerologio petita gloriari uellet, Lenæa hoc mense acta esse statueret, præsertim cum nominis causa Lenæo Gamelione aptior esse uideretur. Mæmacterioni Lenæo loco cessit in scholio Platonico. in calendario Thes. Steph. Lenæo (asianus, cf. supra p. 23 ann.) cum Februario confertur. cum menses attici uno mense amplius recessissent, Lenæo asianus Mæmacterioni respondebat; quod cum scholiasta in hemerologio inuenisset uel sciret, pro mense ionico atticum secundum rationem suæ ætatis substituebat. Gilbert p. 79 initio scriptum esse μηνὸς Ληναιῶνος putat, quod librarii, cum Lenæonem cognitum non haberent, arbitrio suo in mensem atticum mutarent. ut is sententiam suam non probauit, ego meam causis certis efficere nequeo, nisi tituli glossam, siue Lenæonem, siue Gamelionem initio habebat, ueram esse

[1]) Cf. conspectum mensium Thes. Steph. (X), ubi hic mensis ionicus cum Cronio solus se in atticos inserit.

certiores nos faciunt. meliores causas afferre necesse est, ut glossæ plane loquenti fides abiudicetur, etiamsi uarietates extant et uno loco mendose traditur (u. etiam infra p. 65)

Lenæa easdem atque Anthesteria ferias non esse Boeckh ex eo quoque efficere uoluit, quod ueteres Lenæa a diebus Anthesteriorum, qui Choes et Chytri uocantur, separant; his autem locis tantum tribuere non possum. Lenæa a Choibus distinguit Alciphron II, 3, 10 (XIX) in epistula, quam Menander Glyceræ suæ dedisse fertur. Choes nimirum affert, quod eo die Athenienses maxime geniis indulgebant et eas ferias summa cum hilaritate et lasciuia celebrabant, Lenæa autem, quod Menandro poëtæ comico maxime cordi erant. quare hæc nominatim ut τὰ ἐν τοῖς θεάτροις Λήναια denotat; τοὺς κατ' ἔτος Χόας ad comoediam non pertinere apparet. ludos scænicos die Chytrorum datos esse, ut h. l. Lenæa Chytros significent, Gilbert et qui eum sequuntur, putant; Lenæa autem etiam tota Anthesteria significare posse iis necesse est ponere. uerum Lenæa non solum aliud nomen Anthesteriorum esse, sed modo Anthesteria tota modo Chytros significare, hæ turbæ pæne maiores sunt, quam quæ admittantur. itaque hic locus sententiæ Gilberti non fauet. glossa Suidæ τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν σκώμματα, quam Photius et Apostolius repetunt, (XVIII) alicuius momenti est, quod hunc morem iisdem feriis bis occurisse consentaneum non est. Gilbert ei p. 136 sqq fidem abiudicauit falsum esse dicens hos iocos ex Anthesteriis translatos esse in Lenæa, quæ etiam uetustissima essent. sed etiamsi illud ὕστερον falsum est, id, quod narratur, prorsus uerisimile est, cum hi ioci lasciui multis feriis solennes essent. si binis Dionysiis usurpabantur, grammaticus quidam sibi facile persuadere potuit originem ex alteris tantum eos traxisse, et cum Anthesteria plures quam Lenæa cærimonias uetustate insignitas haberent, ratione non inepta usus

ex illis originem iocorum petiit. Æliani fidem permagni non æstimandam esse ipse demonstrauit, qui Hist. An. IV, 43 (XXI) Gephyrismos ferias athenienses esse credidit; quodsi uerum exhibet, Gilberto contrarius est, cum Lenæa a Chytris ipsis seiungat. uix tamen contigit alterum testimonium aliter explanare, quod Chytros et Lenæa separata affert; litteræ sunt hæ Hippolochi, quas Athenæus IV, 128 sqq seruauit (XX). admodum ueteres sunt; dicit enim Athenæus, antequam eas tradit, Hippolochum Macedonem ætate Lyncei et Duridos Samiorum uixisse et Theophrasti Eresii discipulum fuisse, quocum optime consentiunt luxuria et diuitiæ expositæ, quæ temporibus posterioribus in Macedonia fortasse minores erant. e p. 130 E (ἀκούων τὰς Θεοφράστου θέσεις) apparet Theophrastum uixisse, cum hæ litteræ scriberentur; itaque fine IV. uel potius initio III. a. Chr. n. sæculi compositæ sunt. postquam omnes res præclaras descripsit Hippolochus, quas in nuptiis uidit edit accepit, quibus autem misello Lynceo Athenis moranti carendum erat, uerba test. XX allata addit. Lenæa et Chytros uidere nuptiis Carani cum iis comparatis nihil esse. Lenæis ergo et Chytris aliquid, quod spectaretur, erat, et quamquam non prorsus certum est, e uerbo θεωρῶν, quod inprimis de ludis spectandis dicitur, id ludos scænicos fuisse apparere uidetur, præsertim cum, ut Gilbert monuit, Lynceus poëta comicus fuerit. eam ob rem histrionum certamen Chytris habitum (de quo u. p. 57) ei cordi erat. cur autem Lenæa et Chytros ceteris Dionysiis omissis adhibet? ironiam orationis Gilbert recte obseruauit, sed cetera, quæ excogitauit, nimis spinosa sunt. nuptias non multo post Anthesteria celebratas esse contendit, quod histriones eodem anno Athenis egerunt (οἱ κὰν τοῖς Χύτροις τοῖς Ἀθήνησι λειτουργήσαντες). incertum hoc est; nam Hippolochus ita scribere potuit, si ex. c. ipse et amicus ludis Chytrinis

prioris anni Athenis eos spectauerant. Hippolochum de eo locutum esse, pergit Gilbert, quod Lynceus iis diebus, quibus nuptiæ celebrarentur, egisset; quamobrem Lenæa et Chytros mensem distare non potuisse, sed ad easdem ferias pertinere debere; Lenæa ludos scænicos esse, Chytros pompam iocosam (p. 157). hoc ultimum uerum non est. Lenæis quæ Gilbert dicit exceptis (i. e. certamine histrionum) ritus Chytrorum, quos infra exponam, sane nihil θεωρίας habebant; quare h. l. prorsus non conuenit Lenæa et Chytros ad eundem diem referre; ergo separata erant. neque necesse est Hippolochum de eo tantum locutum esse, quod diebus nuptiarum Athenis fiebat; quodsi eum, quoniam litteras misit, ab amico satis diu afuisse reputamus et communem in litteris scribendis morem consideramus, concedendum est eum omnia, quæ proximo tempore facta erant, adhibere potuisse. quamobrem Lenæa et Chytros, quamquam inter se mensem distabant, simul afferre et cum nuptiis comparare potuit. Dionysia magna omisit, siue quod nuptiæ ante ea factæ erant, siue quod maiora erant, quam quæ irrideret.

De testimoniis, quæ ad Lenæa et Anthesteria coniungenda adhibentur.

Primus locus Acharnensium Aristophanis est, quæ fabula ad id tempus pertinet, cum, quomodo Dionysia acta sint, scire nostra maxime interest. quamobrem ad quæstionem soluendam iam pridem adhibita est. cum autem poëta res, quæ ea ætate omnibus notæ erant, leuiter tetigerit nec distincte significauerit, nunc inde a Ruhnkenio et Boeckhio omnes eum in suam partem trahere conati sunt. commemorantur in Ach. Dionysia agrestia Lenæa Choes Chytrique, quorum h. l. de Lenæis tantum disputare mihi in animo est; infra perquiram,

unone tempore fabulam agi oporteat, ut ex eo Dionysia agrestia et Anthesteria eodem tempore celebrata esse concludendum sit. nam hoc tempus fictum fabulæ est, Lenæa tempus, quo re uera agebatur, quod ad fabulam eiusque actionem non pertinet. nunc neminem credo cum Godofredo Hermann de fide didascaliæ addubitantem (inuenit hoc Kanngiesser, Die alte kom. Bühne p. 259 sqq) fabulam Dionysiis magnis actam esse putare. qui hoc refutatum uult, Boeckhium p. 110 sqq legat. itaque u. 504 αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὐπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών ironicam uim non habet, sed res ueras refert[1]). h. l. Aristophanes non chorum, sed actorem pro se loquentem inducit. non est Dicæopolis, qui contra Acharnenses se suamque sententiam defendit, sed Aristophanes, qui apud ciues dicit eos adhortans, ut pacem faciant. uerba spectemus. de tota ciuitate agi chorus primus animaduertit u. 491 sqq. ἀναίσχυντος ὢν σιδηροῦς δ' ἀνήρ, ὅστις παρασχὼν τῇ πόλει τὸν αὐχένα ἅπασι μέλλεις εἶς λέγειν τἀναντία, quæ uerba factis et fatis Aristophanis ipsius optime conueniunt, ut qui ciues ad pacem adhortans odium non solum eorum,

[1]) Hic uersus nihil miri aut ambigui habet. in eo præcipue offensus est Hermann, quod tantam simplicitatem præ se fert. non mirum; nam poëta, ne denuo accusetur, cauere et, si accusatus sit, Cleonem calumniaturum esse uia ac ratione ostendere uult. sententia eius hæc est: priore anno Cleo me accusauit, quod *hospitibus* ludos spectantibus ciuitatem maledixi, non quod ciuitatem maledixi. nunc igitur, quoniam absunt hospites, tuto mihi maledicere licet; itaque Cleo nullam habet calumniandi ansam. hæc bona et simplex est sententia. non minus aperte ambagibus omissis ad spectatores se conuertit de se et rebus suis loquens multis aliis locis ex. c. in parabasi Nubium. a nostro loco tantum eo differt, quod parabasis est, sed comici eam sibi licentiam sumebant, ut non in parabasi sola, sed in ipsa fabula quoque de rebus præsentibus agerent. nuper hos uersus damnauit Wachsmuth, Mus. Rhen. XXXVI, 597, contra quem eos defendit de Wilamowitz Herm. XXI, 616, ann. 1.

penes quos respublica erat, sed populi quoque susceperit et a Cleone accusatus uix effugerit. quamobrem eandem sententiam iterum non minore ui proferre et commendare periculosum erat, quod testatur initium orationis Dicæopolidis u. 496 sqq. μή μοι φθονήσητ', ἄνδρες οἱ θεώμενοι, εἰ πτωχὸς ὢν ἔπειτ' ἐν Ἀθηναίοις λέγειν μέλλω περὶ τῆς πόλεως, τρυγῳδίαν ποιῶν. composuitne Dicæopolis comoediam? Aristophanes est, qui pro domo loquitur. εἰ πτωχὸς ὤν, quod præcipue ad Dicæopolidem refertur, qui totam miseram supellectilem mendicorum Euripideorum mutuatus prodit — nimirum ut misericordiam moueat, quod causam periculosam agit — ad Aristophanem ipsum quoque spectat, qui tam humilis de tantis rebus coram omnibus loqui audet. hoc ostendit comicos interdum fabulam et rem ueram inter se commiscere, quod apertius uerba τρυγῳδίαν ποιῶν indicant, quæ ad idem subiectum ac πτωχὸς ὤν se referunt. hoc de histrione, qui etiam trygoedus appellabatur, accipi non posse ex eo apparet, quod u. 502 poëta de se loquitur. præterea actor comoediam non facit (ποιεῖ), hoc poëtæ est. in sententiis, quæ sequuntur, Aristophanes persona Dicæopolidis abiecta pro se loqui pergit. u. 500 sq τὸ γὰρ δίκαιον οἶδε καὶ τρυγῳδία. ἐγὼ δὲ λέξω δεινὰ μέν, δίκαια δέ, ἐγώ ad trygoedum i. e. ipsum spectat, ut uersu priore collato apparet. tum de Cleone uerba facere incipit οὐ γάρ με νῦν γε διαβαλεῖ Κλέων ὅτι ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω. ergo u. 504—508 αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὐπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών, κοὔπω ξένοι πάρεισιν κτλ. etiam ad rem ueram spectant. inde a u. 509 in orationem comicam sensim delabitur, ut hæc magis personæ comicæ quam poëtæ sint uerba. hoc nemo increpet, quod, ubi Dicæopolidis persona abiecta Aristophanes ipse loqui incipiat uel recepta desinat, certis finibus definiri non potest. nam in eo ars poëtæ constat, quod has mutationes quam maxime celauit, ut spec-

tatores, quando ab hoc in illud transiret, non animaduerterent. causa, cur non in parabasi sola mox sequente, sed hic quoque se defendat, ea est, quod, antequam Dicæopolidem patronum pacis pro foedere uerba facientem induxit, se iure agere probare ei necesse esse uidebatur, cum odio Cleonis imminente et populo ira contra hostes ulciscendique studio incenso aleæ plenum opus esset ut auctorem pacis existere. itaque etiamsi Dionysia agrestia et Anthesteria eodem fere tempore acta esse ex nostra fabula concludere libet, ex ea nihil de tempore Lenæorum erui posse apparet. nam quæ de Lenæis dicuntur, ab actione fabulæ plane aliena sunt. etiam minus nobis prodest u. 1155 ὅς γ' ἐμὲ τὸν τλήμονα Λήναια χορηγῶν ἀπέλυσ' ἄδειπνον, qui de tempore plane nihil dicit.

Cum CIA II, 827 b anni 329/8 a. Chr. n. sit, dixerit quispiam ætate belli peloponnesiaci Lenæa ab Anthesteriis nondum seiuncta esse et postea, sed ante annum illum sui iuris facta esse. is quidem ut fundamentum afferat locum Thucydideum notissimum II, 15 (XLIX), ubi de situ antiquissimo Athenarum urbis disputat auctor grauissimus. nam comparatiuum ἀρχαιότερα sic modo intellegi posse affirmet, ut Thucydides bina tantum Dionysia cognouerit, Anthesteria et magna, quæ recentiora sunt. hæc sententia Doerpfeldii esse uidetur duobus locis collatis. dicit enim Berl. phil. Woch. 1890, 462 »Meines Erachtens hat Gilbert im wesentlichen das Richtige getroffen, wenn er in seiner Schrift über diese Feste nur zwei Dionysien in Athen annimmt. Ich folge darin dem besten Kenner des alten Athen, dem Thukydides, welcher im Gegensatz zu den Lexikographen und modernen Gelehrten auch nur zwei verschiedene Dionysosfeste kennt», et in libro de theatro græco p. 9 »— — sondern bin der Ansicht, dass die drei ersten Feste,

wenigstens für die ältere Zeit [1]), identisch sind». sed siue Lenæa aliud nomen Anthesteriorum, siue diei Anthesteriorum nomen erat, cogitari non potest Anthesteriis in mense et loco suo manentibus mense præcedente ferias nouas institutas esse, quibus nomen alterum Anthesteriorum indebatur, uel, ut ita dicam, diem Anthesteriorum mense antecaptum esse. festa noua nouis nominibus constituta, uetera maiore cum splendore diebus additis, sed eodem tempore atque antea acta, tempus ueteris festi nomine retento quamquam rarissime mutatum esse nouimus; sed hæc translatio mira et moribus græcis contraria est. si Athenienses ludos scænicos Anthesteriorum amplificare uoluerint, diem diesue addere potuerunt; quodsi ὁ ἐπὶ Ληναίῳ ἀγὼν ab origine fuisset ritus Anthesteriorum religione sancitus, numquam ab iis diuelli et in mensem præcedentem transferri potuit. quamobrem uideamus, num uerba Thucydidis illo tantum modo accipi possint. Dionysia agrestia illa ætate acta esse scimus, et magna cum hilaritate et gaudio post sex annos tandem ea celebrare Aristophaneum Dicæopolidem uidemus. etiamsi Gilberto eodem fere tempore quo Anthesteria i. e. Anthesterione ea acta esse concedimus, duo tamen festa erant. iam e nomine, quo utitur Aristophanes Ach. 202, τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια, cum ceteris ea confusa non esse apparet. terna igitur Dionysia ætate belli pelopoñnesiaci fuisse certum est; itaque comparatiuus cum re non consentit, si Anthesteriis exceptis unum tantum fuisse festum Bacchi, quod recentius esset, eo significari necesse esse ducitur. nam si uim logicam uerborum premere libet, Thucydidem Dionysia agrestia et Anthesteria, quod eodem fere tempore agerentur, pro uno festo habuisse uel Dionysia agrestia, quod in demis celebrarentur, non respexisse contra dicere non licet, ut Gilbert, qui p. 143 Thucydi-

[1]) Hæc uerba ego typis obliquis notaui.

dem ea respicere non potuisse affirmat, quod tantum de Dionysiis urbanis ageret. de templis quidem urbanis loquitur, sed cum, quæ antiquissima Atheniensium Dionysia essent, indicare uellet, omnium ab iis celebratorum Bacchi festorum rationem habere debebat. melius Franciscus Groh Stud. de πολ. Ἀθ. p. 50 rem ita explanare uult, ut dicat Thucydidem de binis Dionysiis loqui, quæ in illa parte urbis celebrata sint, Lenæa autem non respicere, quippe quæ in alia urbis parte acta sint. si hoc recte concludit, quanti momenti ad topographiam sit, neminem fugit; sed ne hoc quidem, quamquam difficultatem ingeniosissime extricat, mihi persuadere possum. nam sententia, in qua de Dionysiis loquitur Thucydides, cum aliis laxe conexa ad disputationem de situ antiquissimo urbis non pertinet; sed modo additur, ut templum in Limnis perantiquum esse demonstretur. eam ob rem Anthesteria cum *omnibus* ceteris Dionysiis comparari necesse est, ut iam dixi. itaque comparatiuus alio modo explicandus est. quod Boeckh p. 141 dixit, non sufficit, quod Thucydides de suis temporibus loquitur. enuntiatio ὥσπερ καὶ οἱ ἀπ᾽ Ἀθηναίων Ἴωνες ἔτι καὶ νῦν νομίζουσιν non sine causa subiuncta est ea enim indicium affert, cur hæc Dionysia ceteris antiquiora esse credat, et hæc argumentatio cum more auctoris subtilissimi et acutissimi optime consentit. quod Atheniensibus et Ionibus, qui ab illis oriundi erant, hoc festum Bacchi commune erat, cetera non ita, illud his antiquius esse concludit. Anthesteria igitur ἀρχαιότερα sunt — nisi quæ ἀρχαιότατα esse forsitan aliquis putauerit — i. e. ante emigrationem Ionum constituta, cetera Dionysia recentiora i. e. post emigrationem orta. hic usus comparatiui is est, de quo Kühner-Gerth gr. gr. § 349 b, 3 comparatiuum adhiberi dicit »häufig auch da, wo Einem Gegenstande mehrere andere, ja alle anderen derselben Klasse gegenüberstehen, indem

alsdann die Mehrheit der Gegenstände zu einer Einheit (Gesamtheit) zusammengefasst wird». cum Theocr. 15, 139 et Xen. Cyr. 5, 1, 6 exceptis modo Homerica exempla adhibeantur, alia e prosa oratione petita addo. Lysias XIII, 67 ἦσαν τοίνυν οὗτοι, ὦ ἄνδρες δικασταί, τέτταρες ἀδελφοί. τούτων εἷς μὲν ὁ πρεσβύτερος κτλ. X, 5 ὁ γὰρ πρεσβύτερος ἀδελφὸς Πανταλέων ἅπαντα παρέλαβε καὶ ἐπιτροπεύσας ἡμᾶς τῶν πατρῴων ἀπεστέρησεν, ubi etiam de gradu temporis agitur; Ælian. V. H. II, 41 (LXXXI); sed h. l. editores plerique in superlatiuum corrigunt, quali audacia in nostrum locum adhuc nemo usus est. dixerit autem recte quispiam me oblitum esse Iones quoque Lenæa egisse. non oblitus sum, sed Thucydidem id non cognouisse credo. nam Anthesteria celeberrimum Bacchi festum apud Iones erat, Lenæa nec tanto splendore nec tanta frequentia egisse uidentur, ut Gilbert p 152 sqq conatus sit demonstrare Lenæa Iones non habuisse; sed quamquam fieri potest, ut alii populi, ut Cyziceni posteriore saltem ætate, Lenæa non habuerint, neque ullo loco nominatim commemorantur, e nomine mensis et testimoniis, quæ p. 41 attuli, alios ea egisse concludimus. quod cum ita sit, Lenæa ionica Thucydidem effugisse mirum non est[1]). Gilbert Ionibus Lenæa abiudicans scilicet Lenæa attica cum Anthesteriis coniungere uoluit. id quoque l. l. mirum esse dixit Iones Anthesteriis ludos scænicos egisse (CIG 3044 et 3655), Athenienses non ita, quamquam principia tragoediæ iis communia essent, antequam Iones emigrarent, quod Lenæa Anthesteria esse indicare putat. subtilius quam uerius; nam ioci et cærimoniæ et mores festi, qui erant illa ætate — licet, si libet, ea tragoediæ principia uocare — semper usurpabantur, simulac Bacchi in feriis geniis indulgebant; tra-

[1]) Cf. nunc de Prott quoque Ath. Mitth XXIII, 229 sq., qui etiam Lenæa Gamelione acta esse putat.

goedia autem Athenis nascebatur, a quibus Iones eam posteriore ætate receperunt; quamobrem cuilibet festo Bacchi eam attribuere potuerunt, cum morem antiquitus traditum non haberent; illa Dionysia, quæ maximo cum apparatu celebrabantur, nimirum eligebant. præterea tituli, quos affert Gilbert, seræ ætatis sunt. hoc quoque obseruandum est Anthesteria ritus antiquitate insignitos habuisse diisque inferis Athenis ut Myconi sacra perfecta esse, Lenæorum autem decus maximum ludos scænicos fuisse, quos Iones ueteribus temporibus fortasse non habebant. hoc argumento ei, quod Thucydides affert, adiuncto conclusio eius uerissima est.

Ad ceteros locos auctorum uenio, quibus Gilbert aliique nisi Lenæa cum Anthesteriis coniungere uolunt. est re uera unus, nam scholia ad Aristoph. Ach. u. 202 (XLIV) et u. 504 (XLIII), quibuscum Stephanus Byzantinus s. u. Λήναιος (XLV) conferendus est, cum Anthesteriis Lenæa coniuncta esse concludendi ansam non præbent, sed ex his Lenæa et Dionysia agrestia idem fuisse festum Gilbert collegit. sic hac in re narratio Apollodori in scholio ad Aristoph. Ach. 961 (LXVII) sola momentum habet, in qua origo festi Choum exponitur. in parenthesi extat ἦν δὲ ἑορτὴ Διονύσου Ληναίου. eadem narratio pluribus locis inuenitur: Athen. X p 437 B (LXX), Plut. Quæst. symp. II, 10, 1 (LXXI), Tzetzes schol. ad Lycophr. u. 1374 (LXXII), qui regem non Pandionem, sed Demophontem fuisse dixit; Plutarchus Demophontidas nominat. ut sæpius narratio ætiologica, quæ uocatur, festi instituti apud Euripidem primum inuenitur Iph. Taur. u. 947—960 (LXIV). is autem regem non nominatim indicat, de Atheniensibus tantum loquitur; quare, credo, posteri conicientes dissentiunt. nostro scholio, quod Suidas Χόες in glossa tertia (LXVIII) transscripsit, simillimum est schol. ad Aristoph. Equ. u. 95 (LXIX), a Suida

s. u. Χόες in glossa altera ad uerbum repetitum, quod in codice Rav. quoque extat, cum illud Ven. habeat, Rav. careat. ex eodem fonte utrumque scholium deriuatum esse, et e nomine regis Pandionis, quod hæc sola habent, et e similitudine narrationum apparet, quæ præsertim ceteris cum iis comparatis perspicua est. utrum pluris faciendum sit, ægre diiudicatur, cum alterum auctoritate codicis Rav. nitatur, alterum auctoritatem Apollodori præ se ferat. cum igitur scholium codicis Rav ex eodem Apollodori loco petitum sit, ei hoc obici potest, quod nomen auctoris omisit, quod quanti faciendum sit, alius decernat. habet schol. Rav. pro uerbis illis ἦν δὲ ἑορτὴ Διονύσου Ληναίου hæc: κατέλαβεν δὲ αὐτὸν εὐωχίαν τινὰ δημοτελῆ ποιοῦντα, quæ narrationi primigeniæ propiora sunt, quam posterior quisque magis exornauit auctor. Euripides festum uetus Oresta adueniente actum esse non dicit, quod ad rem non attinet. potius festum Choum hac de causa inuentum esse magis rei conuenit, quam ut uetus mutatum sit, et hoc poëtæ origines festorum Atheniensium exponenti aptius est. hac in re Phanodemus apud Athenæum l. l. et Plutarchus l. l. cum Euripide consentiunt. deinde grammaticus quidam, qui ex sua quemque testa potare non opus fuisse credidit, nisi multi homines festum celebrantes congregati essent, et ignominiam, qua affectus est Orestes, quod in festo deorum fieret, grauiorem depingere uoluit, ut hoc modo mirum hunc apparatum melius explicaret, uerba εὐωχίαν δημοτελῆ ποιοῦντα uel simile aliquid inseruit; fortasse iam ex Apollodoro proueniunt. alius grammaticus, quod festum esset, enucleare gestiens pro illis scripsit ἦν δὲ ἑορτὴ Διονύσου Ληναίου. licet hoc inuentum admodum seræ ætatis sit, nonne eo significat se Anthesteria festum dei Lenæi esse putare? hoc citius concludere nolim, cum grammaticus ille festum aliud in Choes tum mutatum

esse potius ostendere uoluerit; id festum Bacchi fuisse ex re ipsa sequitur; Lenæum id uocauit, quod Athenienses festum Bacchi Lenæi quoque habuisse sciuit. si tantum arbitrio scholiastæ dare non libet, quod sane uerisimile est, cum hanc narrationem suo quisque modo exornauerit, nonne audacius est errorem librarii sumere? nam ΛΗΝΑΙΟΥ et ΛΙΜΝΑΙΟΥ admodum inter se similia sunt, ut facile commutari potuerint. sic Oehmichen, Sitz. ber. d. bair. Ak. d. Wiss. phil hist. Cl. 1889, II p. 126 sq. qui ex τὸ ἐν Λίμναις τέμενος apud Ath. X, p. 437 D Λιμναῖος petit et errorem ei, qui narrationem transcripsit, attribuit. si Διονύσου Λιμναίου ἑορτὴν accipimus, recte se habet; nam Anthesteria Διονύσῳ ἐν Λίμναις uel Λιμναίῳ celebrabantur. ad postremum, utut est, parenthesi, quæ in una forma narrationis extat, quæ compluribus modis ex eodem fonte deriuatis traditur, tantum ponderis ascribi non potest.

Testimoniis, quæ certamina in theatro die Chytrorum habita esse perhibent (CVI—CX), Gilbert ita usus est, ut hos re uera ludos Lenæorum esse Lenæaque ex iis constare contenderit. hos ἀγῶνας χυτρίνους alio nomine τὰ Λήναια appellari contendit. eos autem ludos solennes non fuisse, sed actores in iis specimen suæ artis dedisse et exactum esse, qui ad ludos Dionysiorum magnorum admittendi essent, iam dudum recte exposuit Fritzsche II p. 52 et nunc post Rodhium Wachsmuth p 41 corroborauit, quem uide [1]).

Cum his narrationem Philostrati Vit. Apoll. 12 (CX) composuit, quæ antea adhibita erat, ut Anthesteriis ludos scænicos actos non esse demonstraretur, ut Lenæa esse non possent. dixit enim Gilbert p. 166 Apollonium, nisi ludi scænici Anthesteriis dati essent, se tales spectatu-

[1]) Diog. Laërt. III, 56 (CXI) nugari u. Boeckh p. 124, Gilbert p. 167.

rum esse sperare non potuisse. de χυτρίνοις illis ἀγῶσι agi putat, quos, ut tempora ferrent, mutatos esse. Apollonius Cappadox, qui ludos datum iri audierat et ex narrationibus, quas scriptores aliique de tragoediis et comoediis tradiderant, sibi ludos ad eum modum finxerat, nimirum mimos uidens miratus est. præterea hoc testimonium tam seræ ætatis est, ut ex hoc, quomodo Anthesteria quinti quartiue a. Chr. n. sæculi comparata sint, uix concludere liceat. nam ludi non tam arte et religiose cum festo quam aliæ cærimoniæ ex antiquitate traditæ coniuncti erant. in didascaliis alterius a. Chr. n. sæculi repertis CIA II, 975 ludos comicos multis annis datos non esse uidemus, et Anthesteriis quidem ἀγῶνας χυτρίνους intermissos post spatium temporis a Lycurgo restitutos esse e lege a Pseudo-Plutarcho tradito (CVII) tenemus. qui glossam anecd. Bekk. I, p 316 Χύτροι κτλ. (CVIII) scripsit, eum sine dubio de comoediis cogitauisse ex ultimis uerbis μάλιστα δὲ τοὺς πολιτευομένους apparet. sed cetera tota sententia eam de iocis, qui ἐξ ἁμαξῶν appellabantur, quibuscum scriptor ignorans comoediam iocosam confusit, accipiendam esse demonstrat. Anthesteriis uulgo iis usos esse Athenienses scimus. itane intellegendus est Suidas s. u. ἐξ ἁμάξης? (XXXIX). cf schol. Ar. Eq. u 547 (XL). certa eadem confusio est in schol. ad Nub. u 296 (u. infra p. 90).

Sed locum, ubi apertissime Lenæa Anthesteria esse indicatur, nisi his ipsis uerbis dicitur, adhuc nemo inuenit. ad u. enim Ar. Ach. 1224 (XXXV), ubi Dicæopolis, qui certaminis Choum uictor poculum primus ebibit, præmium, corium Ctesiphontis, a rege archonte postulat, codex Rav. scholium habet hoc; ἄρα τὴν ἐπιμέλειαν ὁ βασιλεὺς εἶχε τῶν Ληναίων. quid minus ambiguum? sed scholium ipsum aperit, quanti faciendum sit; illud enim ἄρα, a quo incipit, hanc annotationem alicuius

esse, qui fabulam legit et ex ea hoc conclusit, neque explicationem docti grammatici esse significat, qui e fontibus doctis id hausit. in lemmate extat πού ἐστιν ὁ βασιλεύς; u. 504 de Lenæis legit; Choes diem alicuius festi esse intellexit; hæc Lenæa esse statim collegit et sic glossam conflauit. est hoc unum de scholiis male doctis, quorum haud parua copia codices Aristophanis instructi sunt ne Rav. quidem excepto; quare scholiis singulis non tantam fidem habere prudentis est.

Qui Lenæa et Anthesteria idem esse festum putant, ad rem suam demonstrandam contendunt templum, in quo celebrarentur, idem fuisse. quæ quæstio eo inprimis ardua et ambigua facta est, quod cum lite de Thuc. II, 15 acerrima coniuncta est. cum Sam Wide N. Tidskr. f. Phil. 1900, 156 sqq. luculentissime eandem exposuerit sententiam, quam ego assecutus sum, de eo loco uerba facere mihi opus non est. non cogimur illa loca, quæ commemorat Thucydides, in una regione unoque tractu sita esse ponere, sed id solum concludere licet hæc loca, si ea omnia respicias, fere meridiem uersus sita esse; quod cum ita sit, satis longe inter se distare possunt. quamobrem quamquam Thucydidem ad templa, quæ prope Ilissum sunt, spectare sumimus, de Enneacruno Doerpfeldio assentiri licet, si aliis de causis id uerisimile uidetur; de Lenæo nihil apparet, nisi hoc quoque templum a meridionali parte arcis quærendum esse intellegimus. Thucydide igitur omisso quærendum est, templumne, quod inuenit Doerpfeld, Bacchi in Limnis esse statui possit, porro Lenæumne id esse statui possit, deinde aliæne sint causæ, quæ Limnæi et Lenæi templum idem esse demonstrent. quarum quæstionum priores duas eo tantum nostra interest tractare, quod, si ambæ affirmantur, ex eo templum unum fuisse sequitur. sed præ paucitate reliquiarum neutram diiudicare possumus. nam et mensa

sacrifica (Doerpfeld, Ath. Mitth. XX, 166 sqq, Prott, XXIII, 218 sq.) et stela, quam apud mensam stetisse sumit Doerpfeld (l. l. 167, 203), etiam in alio templo atque Limnæi esse potuerunt, neque prelum (Doerpfeld l. l. 168 sqq et 204) templum Lenæi esse demonstrat, præsertim cum, ut infra exponam, Lenæus deus torcularius fuisse non uideatur. itaque de reliquiis templi et de ceteris causis, quæ templum unum fuisse indicare uidentur, una disputatione uti necesse est. si Limnæus et Lenæus unum habent templum, argumentum idoneum ii inuenerunt, qui deorum festum unum fuisse censent. iam Gilbert, qui sententiam suæ ætatis secutus templum Limnæi et et Lenæi in regione theatri situm esse credidit, sic disputauit p. 101 sqq.: si templum semel in anno die XII. Anthesterionis aperiebatur ([Dem.] in Neær. 76 (LXXVII) et Lenæa ibi agebantur, hoc die acta sunt. memineri-mus tamen Gilbertum Lenæa die XIII. celebrata esse putare, quo die certamina chytrina agebantur; dicere autem potest Lenæa die sequente prope ædes clausas uel in regione sacra celebrata esse. ludos non apud ipsum templum, sed suo loco templi uicino actos esse Doerpfeld Ath. Mitth. XX, 368 sqq. ex eo concludit, quod templum, in quo ritus Choum perficiebantur, numquam Lenæi esse dicitur, sed semper τὸ ἐν Λίμναις appellatur, ludi autem semper in Lenæo dati esse traduntur. ex hac ut ex Gilberti sententia sequitur, ut pompa solennis Lenæorum, quam administrabant rex et curatores, ædes adire non potuerit, quod a re uera abhorrere animaduertit Wachsmuth Abh. d. sächs. Ges. d. Wiss. XVIII, p. 44. sq. quamobrem aliud templum, ubi Lenæus colebatur, quærendum est; quodsi Limnæus et Lenæus suo quisque loco colebantur, festa duo fuisse sequitur, ut Lenæa Gamelioni attribuere possimus. hoc de Prott putat, qui nouissime de hac re scripsit Ath. Mitth. XXIII, 205 sqq.,

Limnæum autem et Lenæum eodem loco cultos esse et Doerpfeldium hoc templum inuenisse contendit. Wachsmuthium refutans regionem sacram detectam bipartitam esse monet; regionem, ubi mensa sacrifica est, in qua uestigium stelæ, quæ iusiurandum gerararum contineret Doerpfeld se inuenisse credit, semper excepto die XII. Anth. clausam esse, ædes autem, quæ muro ab ea separatæ sunt, aliis quoque temporibus apertas esse et ibi et Limnæum et Lenæum cultos esse dicit. quodsi de Prott, qui unum templum fuisse censet, ferias quoque unas fuisse censeret, fortasse magis constanter egisset, quamquam id ualde gaudeo eum causas ad festa disiungenda tam graues esse putare. qui autem ea coniungere uult, sententiam suam contra Wachsmuthium defendere potest ea adhibens, quæ de templo inuento de Prott dixit; quamobrem quare ei assentiri non possim, exponendum est. prelum, quod locum Lenæi esse indicare putatur, in regione clausa est, quæ uno die XII. Anth. aperta esse dicitur. itaque ad sacra huius diei, quæ in honorem Limnæi perficiebantur, non ad Lenæa pertinet. quamobrem si regionem Limnæum esse credimus, reliquias, quæ solæ de Lenæo monent, ad rem demonstrandam adhiberi non possunt. dixerit autem quispiam die illo populo regionem adire licuisse, Lenæis autem sacra secreta perfecta esse, in quibus prelo initiati uterentur; constat autem (u. or. in Neær.) sacra gerararum mysteria fuisse, ad quæ populus non admittebatur; regio ergo hoc quoque die modo iis, qui mysteria perficiebant, aperiebatur. itaque prelum Limnæi erat, ut templum Lenæi fuisse ex eo concludi non possit. porro murum transuersum ædibus recentiorem esse putat Doerpfeld Ath. Mitth. XX, 174. quod si ita est, ædes olim in regione continua ædificatæ sunt. hoc satis mirum est, cum et sacra gerararum et Lenæa antiquitus tradita sint, ut suo

utraque modo semper celebranda fuisse uideantur. cum autem tempora uetusta in obscuro lateant, de hac re nihil certi affirmari potest. deinde Athenienses in templum uinum portantes Limnæo libauisse per Phanodemum scimus (LXXIV), quo fit, ut imago Limnæi, quæ ab omnibus colebatur, non regio tantum fuerit, quam populo adire non licebat. itaque eadem imagine et Limnæus et Lenæus culti sunt. Gilbert deum unum esse scilicet putat; de Prott autem, ut unum templum et una imago sufficiant, deos inter se simillimos esse posuit. quod etiamsi uerum est, nescio an fieri non potuerit, ut duo dei templum et imaginem communicarent, quos testimonia numquam confundunt nisi parenthesis apud Apollodorum, quæ quantilli momenti esset, iam satis dixi. natura quoque utriusque dei admodum dissimilis esse uidetur, de qua re in parte tertia dicam. itaque duo cultus deorum sunt — quorum si Gilberto astipulamur, alter Choibus, alter Chytris proprius erat —, qui inter se ualde discreti et dissimiles sunt; ex altero ludi scænici extiterunt. quæ cum ita sint, deum unum fuisse ægerrime credere possumus; etiam minus sententia de Prottii placet, qui deos duo esse suis quemque cultum sacris concedens templum et imaginem communicare eos posse credit. utrique deo suo templo et sua imagine opus est. licet hæc omnia aliter aliquis explicet neque ad sententiam nostram probandam sufficere dicat, eum nobis concedere necesse est, si ostendere possumus reliquias murorum cum testimoniis ueterum non conuenire, e quibus proficisci necesse est, cum de ædibus aliquid statuere uolumus. ædes Doerpfeldianæ in loco triangulari sitæ sunt, cuius latera longa sunt fere $11 \times 12 \times 16$ m. cf. uerba glossarum ex. c. Phot. Λήναιον· περίβολος μέγας Ἀθήνησιν, ἐν ᾧ τοὺς ἀγῶνας ἦγον πρὸ τοῦ τὸ θέατρον οἰκοδομηθῆναι, ὀνομάζοντες ἐπὶ Ληναίῳ· ἔστι δὲ ἐν αὐτῷ καὶ ἱερὸν Διονύσου Ληναίου,

quocum consentiunt et. magn. et Hes. ἐπὶ Ληναίῳ; Bekk. anecd. 278 et Suidas glossam præciderunt. estne hic locus magnus? potueruntne ibi ludi scænici agi? ludos in regione dei sacra actos esse, ut de Eleuthereo nouimus, quam maxime consentaneum est, quamquam Doerpfeld Ath. Mitth. XX, 369 Lenæum non ἱερὸν τοῦ Ληναίου, sed locum torcularium esse dicit. si murum transuersum recentiorem esse iudicantes totam regionem Lenæum esse putamus, spatium multo maius est (fere 45 × 36 × 30 m, 560 qm), sed mysteria Limnæi ibi agi non potuerunt. quæ cum ita sint, templum, quod inuenit Doerpfeld, Limnæi et Lenæi simul esse non potest. id Lenæum esse uerisimile non est, uerisimilius Limnæum esse; sed hoc nostra non interest. denique excutiamus argumenta e testimoniis auctorum petita, quæ proposuit de Wilamowitz Herm. XXI, 617 ann. et Doerpfeld probauit. de narratione Apollodori u. supra p. 55 sqq. anon. de com. III, 8, quem locum afferam p. 88, e Phanodemo id, quod dicit, sumpsisse putat de Wilamowitz, quo fit, ut Lenæa ad Limnæum pertinere hic auctor crediderit. cum unde hæc, quæ sæpius narrantur (u. p. 90), prouenerint, appareat, Phanodemum inferre opus non est. nam grammatici ueriloquium uocis trygoediæ quærentes id ex eo petiuerunt, quod uictor mustum acciperet, eodem modo, quo tragoediam nomen habere docent, quod præmium uictoris hircus fuerit. alias causas attulit Oehmichen Sitzber. d. Münch. Ak. 1889, II p. 126. schol. ad Ar. Ran. 216, ubi Dionysus Λιμναῖος commemoratur, uersum Callimacheum tradit (LII), qui ad ludos scænicos refertur, quamquam de genere chori nihil liquet. Wachsmuth p. 43 iure narrationem Phanodemi (LXXIV) adhibet, e qua apparere uidetur Choibus in dei honorem carmina cantata esse, quæ respicere Callimachum uerisimilius est, nisi more alexandrino pro nomine solenni fortasse epiclesi

qualibet utitur. restat Hesychius s. u Λίμναι (XLII), quod adminiculum etiam nobis elabitur; nam Λήναια coniectura Musuri est pro λαια, quod mss. præbent[1]). ego quoque conicere audeo: Λ⟨ιμν⟩αῖα. hoc festum a nullo auctore commemoratur, sed certamina in Limnis celebrata esse constat e Hesychio Λιμνομάχαι (L), et in iis choros, quos nuper commemoraui, cantauisse par est, et ad ea titulus imperatoriæ ætatis (LI) referri potest. utut est, neque e reliquiis effossis neque e testimoniis auctorum Limnæum et Lenæum unum templum habuisse demonstrari potest. [2])

Ad argumenta, quæ ex silentio uocantur, nunc uenio, quæ fortasse maxime effecerunt, ut Lenæa cum aliis feriis coniunxerint uiri docti. ex. c. Bodensteiner p. 221 in eo discrimen controuersiæ uersari putat, quod Lenæa una cum Choibus et Chytris quidem, numquam autem una cum Anthesteriis commemorantur, quamquam hoc quoque, quod Lenæa, siue Anthesteria sunt, siue dies Anthesteriorum, Choibus et Chytris opponuntur, ea sui iuris fuisse indicat (p. 46 sqq.). hac in re nos tenere oportet nomen totius festi satis raro inueniri, sed auctores et populum præcipue dies singulos nominare solitos esse. sic Aristophanes Ach. 1076 dicit ὑπὸ τοὺς Χόας καὶ Χύτρους. Anthesteria Apollodorus affert ut nomen omnium trium dierum in schol. Ar. Ach. 961 (LXVII) et Harp. p. 184 (LXIII). porro quæ sint Anthesteria,

[1]) Hoc de Prott quoque animaduertit, qui Ἀνθεστήρια coniecit, quod litteris traditis minus conuenit minusque aptum est, cum altera pars Anthesteriorum, Chytri, non in templo Limnæi celebrata sit. (l. l. p. 227)

[2]) Oehmichenio, qui l. l. Lenæum cum regione Eleutherii coniungere conatus est, etiamsi locus paludosus esse potuit, contrarius est Ar. Ach. 504, ubi οὐπὶ Ληναίῳ ἀγὼν alteri certamini alio loco acto opponitur, in quo hospitibus spectantibus fabula acta erat, cuius poëta accusatus erat.

explicant Hes. et et. magn. (XLVI). præterea hoc nomen legimus in prouerbiis duobus, quæ apud auctores seræ ætatis extant (XLVII sq). in titulis non inuenitur nisi Ross, Dem. p. 55 n. 29 sq (LI), qui ætatis romanæ est. auctores, qui de ritibus Anthesteriorum loquuntur, nominibus dierum singulorum utuntur, ut de partibus et diebus feriarum magis quam de feriis totis agi appareat. itaque cum nomen totius festi non nisi satis raro inueniatur, mirandum non est, quod Lenæa una cum Anthesteriis non commemorantur, nisi testimonium ita comparatum est, ut omnes ferias uel omnia Dionysia enumerare oporteat. huiusmodi est glossa illa sæpius repetita, de qua supra p. 44 sqq. dixi (XI—XIV). quam Gilbert, quod sententiæ eius apta non erat, antea damnauit, eam nunc adhibet, ut Anthesteria sub nomine Lenæorum quærat. p. 142 sq. omnia Dionysia Anthesteriis non omissis enumerari oportere contendit, et si quis ferias, quæ ludis scænicis celebratæ sunt, tantum enumerari putet, eum ad arbitrium suum iudicare dicit. hoc omittere uolo. Lenæa publice τὰ ἐπιλήναια uel τὰ ἐπὶ Ληναίῳ Διονύσια uocari meminerimus. accedit, quod omnes feriæ, in quibus ludi scænici agebantur, Dionysia erant. quod cum ita sit, Lenæa Dionysia esse Athenienses oblitos non esse apparet. uoluit igitur grammaticus nostro loco festa, quæ Dionysia appellabantur, recensere: hæc sunt tria: agrestia Lenæa urbana. Anthesteria iure omisit, ut quæ ex parte tantum Dionysia essent et sic uocarentur non nisi rarissime et certa de causa: Thuc. II, 15 (XLIX), Philostratus, qui elegantius scribere uoluit, bis: Heroic. 13 (LXXXII) et uit. Apoll. 12 (CX). Hesychius et et. magn. (XLVI) non sine causa ea Dionysia esse monent.

Horum testimoniorum omnium primariæ sunt rationes coriorum uictimarum CIA II, 741, frgm. a, b, d (XVI a, b, c), quæ pecuniam, quæ ex coriis uenditis a.

334—330 a. Chr. n rediit, enumerant. hic Dionysia Piræa et epilenæa (τὰ ἐπιλήναια u. supra p. 39 sq.) et magna recensentur, Anthesteriorum nulla mentio fit. quare Gilbert p. 145 sqq. hoc festum tanti momenti fuisse putans, ut omitti non posset, sub nomine Lenæorum Anthesteria latere contendit; quod si uerum esset, nimirum Lenæa et Anthesteria idem festum fuisse effectum esset. cum autem secundum Gilbertum Lenæorum nomen diei Anthesteriorum, quo fabulæ agebantur, proprium fuerit, permirum est hoc potissimum nomen in rationibus coriariis adhibitum esse; potius Choes expectaueris. frg. a est anni 334/3 a. Chr. n., b anni sequentis, d anni 331/0, ut hoc annum tantum distet ab CIA II 834 b, qui titulus anni 329/8 est. quare a uerisimili plane abhorret Anthesteria e causa a Gilberto proposita omissa esse. Boeckh p. 105 ea commemorata non esse putat, quod in iis, feriis ueteribus, epulæ publicæ, quæ in feriis posterius additis (ἐπιθέτοις) essent, non darentur. ei iure quodam oblocutus est Gilbert p. 146, quamquam equidem, utrum Anthesteria epulis publicis celebrata sint necne, me fateor nescire. necesse tamen non est Athenienses epulas publicas cum omnibus magnis feriis coniunxisse, neque qua ratione factum sit, scimus; quare hoc tantum dicere possumus pecuniam coriariam Anthesteriorum, si qua fuit, ad rempublicam non rediisse. etiamsi epulæ datæ sunt, fieri potest, ut more uetere, qui in hoc uetere festo ægrius quam in ceteris ne Lenæis quidem exceptis, quæ non tantam antiquitatem et sanctitatem præ se ferebant, aboleri potuit, pecunia coriaria ad sacerdotes uel deum ipsum redierit. CIA II 631 ἱερώσυνα, quæ sacerdotibus danda erant, recensentur, inter quæ sæpius coria numerantur. hæc autem publica sacra fuisse non plane constat, quamquam id conicere licet. uide præterea Boeckhium, Staatshaushaltung[3] II 108 sqq. ut exempla ex alio op-

pido petam, CIG 1536 = syll. Dittenb.[1] 210,[2] 289, in quo titulo Philopoemeni mortuo diuini decernuntur honores, l. 35 sqq legitur τὸν] δὲ ταμίαν δ[οῦ]ν[αι τὸ ἀνάλωμα εἰς τὰν θυσίαν | το]ῖς τᾶς πόλιος ἱ[ερ]ο[θύτ]αι[ς — — — — | . . ας· τὰ δὲ κρέα τ[ὰ] βρώσ[ιμα? — — — — | — τὸ δέρμα καταδίδοσδαι τοῖ[ς τᾶς θυσίας ἐπιμε]λουμένοις. cf. Diod. XXIX, 18 καὶ τὸ βουθυτεῖν αὐτῷ κατ᾽ ἐνιαυτόν. sacrum epulæ uocari uidetur l. 45 τᾶι ἑστιά[σει. Dittenb[1] 376,[2] 627 Mileti inuentus ἦν ξένος ἱεροποιῆι τῶι Ἀπόλλωνι προιερᾶσθαι τῶ[ν] ἀστῶν, ὃν ἂν θέληι ὁ ξένος, διδόναι δὲ τῶι ἱερεῖ τὰ γέρεα ἅπερ ἡ πόλις διδοῖ π[άντα] χωρὶ[ς] δερμάτω[ν]. de sacerdote Dianæ Pergææ uide Boeckhium, Staatshaush. l. l., quæ sacerdotium mercata coria etiam sacrorum publicorum recepit, (CIG 2656 = Dittenb.[1] 371,[2]601). cf. etiam inscriptionem, in qua leges mysteriis Andaniæ præscribuntur l. 85 sqq, Dittenb.[1] 388,[2] 653. in fastis sacris cois (Dittenb.[2] 616, Paton inscr. of Cos 37—40, de Prott fasti sacri gr. 5, p. 19 sqq) sacerdotem et alia et coria accepisse uidimus l. 47, 50, 57 sq, 60.

Locum Pollucis 8, 90 (XXXIV) missum facere possumus, cum nunc Ἀθ. πολ. ipsam Aristotelis habeamus, e qua c. 57 (XXXIII) Pollux hæc petiit locum integrum recidens. contendit Gilbert p. 142 iis, qui Lenæa sui iuris esse putant, Pollucem Anthesteriorum oblitum esse statuendum esse; quod uerbis integris Aristotelis reicitur. nam postquam mysteria et Lenæa copiosius descripsit, res singulas enumerando fatigatus, breuiter τοὺς τῶν λαμπάδων ἀγῶνας ἅπαντας affert et deinde munera regis comprehendens dicit ὡς δ᾽ ἔπος εἰπεῖν καὶ τὰς πατρίους θυσίας διοικεῖ οὗτος πάσας, quarum numero scilicet Anthesteria quoque complectitur uel Choes, ut cautius dicimus, quibus regem præsedisse scimus. sch. ad Ar. Ach. 1224 (LXXVIII) sine dubio ab Aristotele oriundum est, sed ita contractum est, ut nullius sit momenti.

De lege Euegori (XV), in qua etiam Anthesteria nomine Lenæorum significari putat Gilbert p 143 sq, P. Foucart Rev. de Philol. I, 168 sqq luculenter disserens nostram quoque profligauit quæstionem. hoc enim monet, causam non esse, cur ad Dionysia sola legem referamus. de Thargeliis quoque, quæ Dionysia non erant, lata est. quare non hoc interdicere uoluere Athenienses, ne in Dionysiis pignus caperetur, sed iura quædam mysteriis et Panathenæis propria ad alias quoque ferias transtulerunt. quas uoluere, elegerunt; si quis Anthesteria, festum uetus ac sanctum, numero eorum comprehensa non esse miratur, cur, quæro, alia festa, quæ eandem sanctitatem et antiquitatem præ se ferebant. ut Apaturia et Pyanopsia omissa sunt?

Utrum Dionysia agrestia cum Anthesteriis coniungere liceat necne, quæritur.

Terna in una Dionysia conflauit Gilbert. argumentis denuo spectatis Lenæa sui iuris esse uidimus, sed utrum Dionysia agrestia cum Anthesteriis coniungenda sint necne, sua disquisitione indiget. testimonia nulla sunt nisi fabula Acharnensium Aristophanea, quæ eam ob rem maximi est momenti. ceterum similitudo quædam Dionysiorum agrestium et Anthesteriorum affertur, quæ per se non multum ualet. præterea testimoniis, quæ Dionysia agrestia cum Lenæis coniungunt, nititur Gilbert; nam cum Lenæa eadem atque Anthesteria esse se effecisse crederet, hoc modo Dionysia agrestia quoque eadem atque Anthesteria esse demonstrare potuit. quoniam autem Lenæa ad Anthesteria non pertinent, noua oritur quæstio; suntne Lenæa et Dionysia agrestia idem festum? in hanc illa confecta inquirendum est.

De Acharnensibus igitur Aristophanis agitur, cuius fabulæ priore in parte u. 202 sqq Dicæopolis Dionysia agrestia celebrat, in posteriore Choes agit u. 1000 sqq. quæritur, sitne locus idem et tempus idem per totam fabulam. non tam confidenter ut Bodensteiner p. 218 scænam non permutari posse — i. e. fingi non posse fabulam alio loco atque antea agi — statuere ausim. (Szenenwechsel ist szenisch und ästhetisch unmöglich, und ebenso vollkommen wie die Einheit des Ortes ist die der Zeit). nam Choëphoros et Eumenides Æschyli et Aiacem Sophoclis binis locis agi necesse est; comoediam etiam maiore licentia frui oportet. de Ranis dicere nolo; binas ædes ibi ut in Pace fuisse credo, cf. Robert, Herm. XXXI 551 sqq. quare antiquissimam comoediam nobis seruatam plus quam uno loco agi posse non statim et breuiter repudiandum est. actus fabulæ consideremus; actus eas partes dico, quas cantus chori solius in scæna manentis definiunt. in primo comitia habentur et foedus cum Laconibus Dicæopolis icit. u. 202 ἄξω τὰ κατ' ἀγροὺς εἰσιὼν Διονύσια, quæ in actu secundo futura sint, significatur. in hoc Dicæopolis Dionysia agrestia agit et contra Acharnenses se defendit. u. 623—5 Megarensibus aliisque mercatum edicit, Lamachum excludit. parabasi cantata in actu tertio mercatus habetur. in fine huius actus u. 960 sq Choes imminere significatur, qui in actu postremo celebrantur. primum de loco quæramus, a quo tempus non hæret; quare etiamsi Gilbert Dicæopolidem agrestia Dionysia Athenis egisse recte putat, tamen alio tempore atque Anthesteria acta esse possunt; quodsi Dionysia agrestia eum ruri agere statuendum est, minus probabile saltem fit eodem die fabulam agi. primum animaduertendum est orchestram non semper eundem locum repræsentare posse, ut hæc permutatio quædam loci fiat. nam in actu primo Pnyx est, deinde etiamsi

ædes Euripidis apud Pnycem collocamus, quod re uera arbitrarium est, mercatus Dicæopolidis in Pnyce haberi nequit, sed nimirum ante ædes eius, cum is solus pace fruatur. sic ex ædibus, ex quibus exeunt, in quas introeunt, quibuscum negotium habent actores, apparet, quid orchestra repræsentet, ita, ut orchestra semper aream ante ædes, quibuscum histriones rem habent, repræsentet. sic in Pace orchestra modo area ante ædes Trygæi, modo ante Iouis domum est [1]). in Ranis modo terra — ante ædes Herculis — modo orcus — ante domum Plutonis — orchestra est. alteras ædes Herculis, alteras Plutonis de binis, quæ in scæna fuerunt, fuisse credo, sed hoc nihil ad rem pertinet. uidemus, si ædes, ad quas actio respicit, aliæ sunt, orchestram quoque alium locum repræsentare et hæc loca multum inter se distare posse. nonne igitur fieri potest, ut in eadem fabula orchestra modo urbs modo rus sit, cum in alia modo orcus modo terra sit? ædes tantum agrestes Dicæopolidis in scæna fuisse sumamus: orchestra, quando libet, rus est. hoc fieri potest. nam ternas ædes in scæna etiam in Ecclesiazusis esse necesse est, et hoc cum scæna et theatro conuenit (cf Doerpfeld et Reisch p. 207). primæ sunt Dicæopolidis urbanæ, alteræ agrestes, tertiæ Euripidis et Lamachi (u. 1072, cf u. 1174 sqq), nisi Lamachi ædes eædem sunt ac Dicæopolidis agrestes; nam quaternas ædes sumere nolo, etiamsi nihil prorsus obstat. si Lamachus et Euripides uel Dicæopolis, cum ruri est, easdem ædes habent, hoc neque

---

[1]) In re uniuersa Robertio Herm. XXXI 551 sq assentior. nam fieri posse, ut spatium sufficiens in tecto ædium Trygæi fuerit — si supra eas Iouis domum collocamus —, ut hic scæna illa ageretur, in qua ex antro chorum et Megarensibus et Atheniensibus adiuuantibus Pax protrahitur, mihi persuadere non possum. antrum in orchestra fuit, ubicumque domus Iouis erat, ut orchestra modo cælum modo terra esset.

magni momenti est neque animaduertitur. fieri posse negari nequit; ab hoc autem res non hæret, sed quomodo actio inde a u. 202 agatur, quærendum est. rusne migrare an in urbe manere Dicæopolidem concludendum est? hoc Rinck, Relig. d. Hell. p. 89 sqq, Schoenborn, Skene d. Hell. p. 321, Gilbert contenderunt; illud Haupt, index lect. Berol. 1872/3 aliique. si in urbe Dionysia agrestia agere potuisset, ei pacem facere opus non fuisset. sed pompam rus ducentem prohibitum esse Gilbert dicit. haud recte. nimirum Aristophanes ciuibus proponere uoluit, quanta lætitia et iucunditate pace facta Dionysia ruri celebrari possent; quantum Athenienses uitam agrestem desiderauerint, ut eam ob rem eos belli maxime pertæderet, bene scimus. quamobrem haud aptum fuisset, si Dicæopolidem ea in urbe celebrantem induxisset poëta. hoc quominus credamus, etiam prohibemur, si, qualis pompa sit, reputamus. sacrum paratur, canephorum et phallum uidemus, cantilenam phallicam audimus, quæ in pompa rurali cantabatur, et hanc pompam cærimoniam grauissimam Dionysiorum agrestium fuisse apparet ex Plut. de cup. diu. 8 (XXV), qui ἡ πάτριος τῶν Διονυσίων ἑορτὴ τὸ παλαιὸν ἐπέμπετο δημοτικῶς, non ἤγετο dixit. in pompa, si qua fuit, quæ ab urbe rus ducebatur, hæc agi non poterant, quæ Dionysiorum ruri celebratorum signa et indicia sunt et pompæ sollenni soli apta sunt. et si Dicæopolis ab urbe rus exiisset, uxorne hoc a tecto spectauisset? (u. 262 σὺ δ',ὦ γύναι, θεῶ μ' ἀπὸ τοῦ τέγους. πρόβα.) nisi pompa sollenis ruralis est, hæc uerba nugæ sunt et poëtæ uitio uertenda. si pompa in urbe acta esset, uis scænæ imminuta, immo deleta esset. sed cetera excutiamus. u. 266 sqq Gilbert male interpretatus est, qui usum loquendi agnoscere noluit. ἔκτῳ σ' ἔτει (Φαλῆτα) προσεῖπον ἐς τὸν δῆμον ἐλθὼν ἄσμενος. nam aoristus προσεῖπον usu solenni linguæ græcæ in talibus uerbis ut ex. c.

ἐπήνεσα. ἀπέπτυσα (Pax u. 528), ἥσθην ad tempus præsens refertur (u. ex. c. Delbrück, Synt. Forsch. IV 108 et artes grammaticas, Kühner-Gerth § 386, 9 aliasque.), et in nostra lingua præsente tempore uertendus est. sic ergo «te saluto, Phales, postquam foedere pro me et meis icto a negotiis et pugnis et Lamachis liberatus sexto demum anno lætus in pagum ueni»; ἐλθών «aufgebrochen seiend nach dem Demos» uel «auf dem Wege zum Demos» (Gilbert p 57), uel «going (forth) to my deme» (Pickard p. 72) mera est tergiuersatio neque consuetudini loquendi conuenit. itaque ex uerbis Aristophanis ipsius, si quis sit æquus, Dionysia ruralia etiam ruri agi apparet. quomodo hæc acta sint, examinemus, quia Gilbert hac re maxime nititur. u. 202 dicit Dicæopolis ἄξω τὰ κατ' ἀγροὺς εἰσιὼν Διονύσια. εἰσιών cum ceteris non cohæret; nam in ædibus Dionysia agere nequit, sub diuo necesse est; hoc uerbo poëta eum a scæna abire tantum significat, ut fieri solet. in ædes igitur urbanas Dicæopolis introit et Amphitheus abit; scæna uacua est. tum uenit Acharnensium chorus. quem locum orchestra nunc repræsentet, nescimus; nam hoc in Pnyce fieri aptum non est, neque chorus ullas ædes respexit. Acharnenses Amphitheum insequentes ad locum nescioquem peruenisse tantum dicere possumus. chorico cantato u. 237 ex ædibus quibusdam Dicæopolidem εὐφημεῖτε iubentem audiunt. has ædes rurales esse aliquo modo ex. c. scænographia significatum est; quo in demo sitæ sint, minus ad rem pertinet, neque curauere spectatores; nunc autem sciunt chorum quoque ruri esse fabulamque ruri agi orchestramque rus ante ædes rurales Dicæopolidis repræsentare, quod cauillatione cum Dicæopolide incipiente etiam magis elucet. choro u. 385—392 canente Dicæopolis ad ædes Euripidis it, quo facto scæna mutatur, uel, ut hæc uerba euitemus, orchestra alius fit locus. si quis poëtam non tam cito personas rure in ur-

bem ducere posse dixerit, hoc non magis mirum est quam id, quod Trygæus in Pace choro parabasin canente a cælo in terram descendit, ut multa alia taceam (Amphitheum!). Dicæopolis ad Euripidem sibi eundum esse u. 394 dicit; re uera choro canente it, nam hoc dicens ante portas stat; u. 395 fores pulsat. eodem modo Trygæus Pax u. 725, quomodo descendat, quærit et u. 819 se descendisse significat. deinde Dicæopolidem rus redire, ut ibi se et pacem contra Acharnenses defendat, e u. 480 sqq apparet, imprimis u. 486 ἄπελθ' ἐκεῖσε, κἀτα τὴν κεφαλὴν ἐκεῖ παράσχες. choro u. 490—495 canente redit. satisfit ergo legi, quam Gilbert p. 50 statuit: «sobald ein wirklicher Zeitabschitt eintritt — — wird derselbe durch die Parabase oder durch sonstige Worte des Chors erklärt, ausgefüllt.» Lamachus u. 572 aduenienis non obstat. nam eum ab ædibus euocatum adesse non audimus; casu aduenit, ut hodierni quoque comici sæpe sine ulla ratione personas inducunt, cum fabulæ aptum est. sed re uera locus Aristophani non tantæ curæ erat, quantæ criticis nostris. ubi hæc agantur, nihil ad rem est, quare etiam locum non significauit, et rectius loco nescioquo hoc agi dicimus. dicat autem aliquis per totam fabulam chorum adesse et ea de causa locum unum esse necesse esse, nisi locum mutari eo significetur,quod chorus abeat ut in Eumenidibus et Aiace. quodsi in his tragoediis ita est, poëta comicus choro manente locum mutare non dubitat (cf p. 69 sq). in Pace antrum, in quo Pax inclusa est, paulo infra domum Iouis est (u. 224), ad quod chorus conuenit. u. 720 Trygæus descendit in terram choro eum saluere iubente, et parabasi cantata, postquam domum uenit et cum seruo pauca uerba fecit, cum eo loqui incipit chorus, quem e cælo descendere numquam audiuimus. in Equitibus etiam minus rem celauit poëta. a u. 691 Cleo cum aduersario ante ædes

Demi rixatus u. 746 suadet, ut contio in Pnyce habeatur, quod aduersario repugnante a Demo obtinet. paucis uersibus a choro interpositis altercatio in Pnyce incipit. quid minus ambiguum? choro manente actores in alium locum eunt, quo facto chorum quoque eo adesse fingitur i. e. scæna mutatur [1]). quamobrem si quis Acharnenses ternis ædibus extructis ita, ut adumbraui, actos spectet, scrupulos et calumnias non moretur; spectatores enim non tam curiosi sunt quam critici nostri; illis autem fabula scripta et acta est.

Altera quæstio est, utrum actus secundus, in quo Dionysia agrestia aguntur, ad aliud, an ad idem tempus pertineat atque ultimus, in quo Choes celebrantur. nunc cum locum unum non esse inuenerimus, de tempore uno etiam dubitare licet; sed Gilbert et multi alii postulant, ut, quæ in fabula nostra fiunt, uno die agantur. licet homines nostrorum sæculorum fabulas antiquas semper uno die agi sibi persuaserint et fabulas nouas eam sententiam secuti conscripserint, audiendum est, quid de hac re dicat Aristoteles, e cuius de arte poëtica libro illa sine dubio oriunda est. legimus c. 5; ἔτι δὲ τῷ μήκει, ἡ μὲν (tragoedia) ὅτι μάλιστα πειρᾶται ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶναι ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν. ἡ δὲ ἐποποιία ἀόριστος τῷ χρόνῳ, καὶ τούτῳ διαφέρουσι· καίτοι τὸ πρῶτον ὁμοίως ἐν ταῖς τραγῳδίαις τοῦτο ἐποίουν καὶ ἐν τοῖς ἔπεσιν. sed quid hoc? ne tragoedias quidem semper uno die agi, sed id conari et in eo paulum uariare dicit auctor grauissimus. porro certiores nos facit initio, i. e. cum chorus multo maiores partes ageret, tempus definitum non esse, sed ut in carmine epico quamlibet productum esse. quod cum Aristoteles diserte dicat, id e tragoediis uetustissimis

[1]) De Auibus dicere nolo, quod de locis parum liquet. si me audias, posteriorem partem fabulæ, in qua omnes domicilii Epopis obliti sunt, loco nescioquo agi dicas.

ipsum cognouisse sumendum est (cf. id quod paulo supra de comoedia antiquissima dicit). nonne igitur credere licet hunc morem diutius seruauisse comoediam, quam sero tandem eadem qua tragoediam cura cultam esse idem auctor tradit, cuius propria licentia et immoderatio quædam sunt, quæ, quicquid uult, spectatores credere cogit, interdum autem simulatione abiecta actores ad eos se conuertere iubet? nonne more epico antiquissima nobis seruata comoedia composita esse potest? iam dudum uiri docti animaduertere ea, quæ ex. c. in Agamemnone Æschyli et in Heraclidis Euripidis uidemus, uno die fieri non posse. Heautontimorumenos Terentii duobus agitur diebus (u. 248 *uesperascit,* actus III. incipit a uerbis *luciscit hoc iam*); de Octauia loqui uariis de causis operæ pretium uix est, cuius in priore parte nuptias Poppææ futuras, in posteriore factas esse audimus; Herculem Oetæum missum facio. quodsi illa sententia ueterum fuisset, poëtas posteriores eam amplexuros fuisse expectes. altius autem causa petita est, cur fabulæ singulis diebus agerentur, e natura et origine ipsa poësis scænicæ. quod chorus semper in scæna manet, fabulam uno die agi oportere putant, ne chorus, credo, cubitum abeat. si fabula ut Agamemno uno die agi nequit, poëta dicitur fingere omnia die uno fieri, quamquam re uera non possunt, ut hoc modo opinioni satisfiat. itaque tempus unum esse simulat poëta, qui choro in scæna manente dies uarios non nominat, ut eos plures esse non animaduertant spectatores. sed ne hoc quidem uerum est. nam in Lysistrata Aristophanis mulieres arcem occupant et post aliquot dies scilicet libidine inflammantur, quod ut ea, quæ in Agamemnone fiunt, potest expediri; sed nullo modo cum opinione illa consociatur id, quod Lysistrata dicit u. 723 sqq, ubi rem, quam post arcem captam euenisse necesse est, hesterno die (χθές) factam esse com-

memorat. ex hoc loco poëtam comicum illam fictionem non curare uidemus. præterea haud raro breui tempore fieri iubet poëta id, quod re uera multo longioris est. ut de aliis ne loquar, in Acharnensibus duæ sunt inconcinnitates temporum, quas Gilbert interpretando celare conatus est — nam tollere non potuit. Amphitheus u. 130 sqq Lacedæmonem missus u. 175 redit, simulac Thraces abducti sunt et prytanes contionem dimiserunt. etiamsi a diuina origine oriundus est, Aristophanes hoc factum noluit, ut explicaret, cur tam cito redire posset. tempore et probabilitate hic supersedet, ut u. 1141 Lamachum in bellum proficiscentem facit, et statim chorico cantato seruum eum uulneratum redire nuntiantem inducit. hoc sane negotium paucarum horarum uel unius diei non est. itaque poëtam suo arbitrio tempora describere sinamus, neque morose et nimis diligenter ei obiciamus, quomodo res re uera agendæ sint. si hæc permisit Aristophanes et si tragoediæ antiquissimæ more epico tempus producebant, nonne etiam fieri poterat, ut Dionysia agrestia et Choes, quamquam duos menses inter se distant, in eadem fabula celebrarentur? denique cognoscamus, quomodo poëta mutationes temporis celauerit. in Lysistrata inter arcem captam u. 241 et fraudem mulierum detectam u. 718 sqq multæ sunt rixæ; dum Lamachus in bellum proficiscitur et redit, interuallum chorico expletur; dum Amphitheus Lacedæmonem it reditque, in contione de Thracibus agitur; his locis pauci uersus uice satis longi temporis funguntur. ea igitur arte utitur, ut, quanto maioris ad fabulam sunt momenti ea, quæ tempore distant, tanto maiores partes fabulæ inserantur, in quibus tempus quasi suspenditur. his uersibus interuallum expletur, i. e. efficitur, ut spectatores tempus, quo aliquid antea factum sit, non tam distincte obseruent aut memoria teneant, ut illud tempus manere

credant et alio commemorato offendant. nonne sufficiunt h. l. uersus fere DCC, qui inter Dionysia agrestia et Choes celebratos sunt, in quibus neque Dionysia neque ullum tempus certum commemoratur?

Quærat autem aliquis, cur Dicæopolidem ambo festa Bacchi celebrantem fecerit Aristophanes. nil magis consentaneum; nam etiamsi Dionysia agrestia et Choes eiusdem temporis non sunt, re cohærent, et eas ferias, quæ maxima cum hilaritate celebrabantur, sed bello manente prohibebantur, ciuibus ante oculos proponere uoluit Aristophanes, ut eo pacis auctor esset. nam fieri non potest, quin omnia festa imprimis lætissimum quicque belli causa imminuta sint. itaque pristinum splendorem ac iucunditatem, quæ pace facta restitueretur. in memoriam reuocauit poëta.

Quoniam igitur Acharnenses non obstant, quominus Dionysia agrestia ab Anthesteriis separentur, hoc uerum esse aliis testimoniis demonstrandum est. quorum tituli primarii sunt. cum CIA II, 741 (XVI), ubi feriæ secundum tempus se excipiunt, Dionysia Piræa, quæ agrestia esse inter omnes constat, ante Lenæa recenseantur, Dionysia agrestia ante Lenæa acta et ab Anthesteriis separata esse apparet. de CIA II, 578 et Theophr. Char. III, quæ testimonia Dionysia agrestia accuratius Posideoni attribuunt, infra agam.

Utrum Dionysia agrestia cum Lenæis coniungere liceat necne, quæritur.

Ad postremum uetus hæc Scaligeri aliorumque sententia, cui etiam post disquisitionem Boeckhii Fritzsche patrocinatus est, exigenda est. Gilbert, qui Dionysia agrestia Lenæa Anthesteria coniungit, Dionysia agrestia aliis diebus

in aliis demis acta esse concedit; ipse CIA II 470, de quo infra p. 83 dicam ad Dionysia Piræa refert. cum igitur Dionysia agrestia *fere* eodem tempore quo Anthesteria acta esse tantum dicere possit, tanto maiore cum ardore ea testimonia defendit, e quibus effici putat festa eandem originem et naturam habere, ut re uera unum et idem sint. inter hæc tria sunt, quæ Lenæa cum Dionysiis agrestibus coniungere putantur, quæ contra Boeckhium tuetur p. 110 sqq. sunt Steph. Byz. s. u. Λήναιος (XLV) et scholia ad Ar. Ach. 504 (XLIII) et 202 (XLIV). Stephanus auctoritate Apollodori nititur, sed glossa tam obscura et tanta neglegentia in breuius redacta est, ut non appareat, quæ dixerit Apollodorus; de demo illo Lenæo satis mirum est. cum Stephano congruit schol. ad Ar. Ach. 504, sed ex ambobus hoc tantum concludi potest certamina Lenæorum ruri (ἐν ἀγροῖς) habita esse, scilicet quod templum Lenæum ruri situm erat, quod diserte tradit schol. Ar. Ach. 202 Λήναιον γάρ ἐστιν ἐν ἀγροῖς ἱερὸν τοῦ Διονύσου. sed eo nondum demonstratum est Lenæa et Dionysia agrestia idem festum fuisse, et scriptorem glossæ hoc non putauisse ex eo apparet, quod Lenæa ad certum templum, Lenæum, refert, cum Dionysia agrestia in omnibus fere demis et in multis templis acta sint. illum ἀγῶνα Διονύσου ἐν ἀγροῖς, ut contrarius esset ἀγῶνος Διονύσου ἐν ἄστει, commentum esse pæne certum uidetur — cf. schol. ad Ach. 504 τὸ μὲν πρῶτον ἐν ἄστει — τὸ δὲ δεύτερον ἐν ἀγροῖς ὁ ἐπὶ Ληναίῳ λεγόμενος — præsertim cum scholiastæ, qui Dionysia agrestia fuisse alterosque ludos actos esse audiuit, hæc confundere in promptu fuerit (cf. Doerpfeld Ath. Mitth. XX, 181). nunc diligentius examinemus scholium ad Ar. Ach 202, quod Dionysia agrestia Lenæa esse diserte dicit. τὰ Λήναια λεγόμενα Boeckh p. 88 uidit glossam separatam esse, quæ ad id, quod sequitur, non pertinet; sed ne id quidem recte se habet. nam neque enun-

tiatum Λήναιον γὰρ κτλ., quamquam a γὰρ incipit, cum sententia præcedente cohæret, neque sequens ad id se refert. nam ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ non potest spectare ad ἐν ἀγροῖς. qua in re iure Boeckh postulauit, ut nobis diceretur, quo in agro Lenæum situm esset. itaque enuntiatum Λήναιον γὰρ κτλ. additamentum esse uidetur (ea a γὰρ sæpe incipiunt), quod eo confirmatur, quod continuationem sermonis interrumpit. nam διὰ τὸ κτλ. rationem reddit, cur certo loco Lenæa celebrata sint, non cur Lenæum sit templum rurale. si ἔνθεν probamus, — illo Λήναιον γὰρ κτλ. exempto — hic finis reuulsus narrationis est, in qua exponebatur, qua de causa et quo loco Lenæa instituerentur; sed forsitan præstet id in ἔνθα mutare, quo facto Λήναιον tantum præfigere opus est, ut glossa integra fiat. eam ob rem uoluerit quispiam illud Λήναιον γὰρ κτλ. ante ἔνθεν ponere; sed hoc audacius est, cum et transponendum et ea de causa simul γὰρ eiciendum sit. habemus igitur glossam ueterem, in qua re uera ueriloquium uocis Lenæi traditur, cum qua alius quidam suo arbitrio duo additamenta coniunxit. τά Λήναια λεγόμενα ex Acharn. u. 504 conclusit, ut scholiasta ad u. 1224 ex eodem loco Lenæa Choes esse collegit. cum Lenæa ἐν ἀγροῖς agerentur, nimirum templum Lenæum ἐν ἀγροῖς situm esse conclusit, quod falsum esse apparet ex Hesychio s. u. ἐπὶ Ληναίῳ ἀγών et Isæo VIII 35, auctore grauiore, qui Lenæum ἐν ἄστει situm esse testantur.

Cum hæc testimonia tam incerta et obscura sint, ut interpretatione egeant, priusquam adhibeantur, ea, quæ nunc afferam, diserte et distincte loquuntur, ut, si quis iis supersedere uelit, fides iis abroganda sit. de glossa Hesychii Διονύσια, quæ etiam apud alios traditur, (XI—XIV), iam supra p. 44 sqq et 65 satis expositum est. quæ cum duas res, quæ ueræ sunt: τὰ δὲ Λήναια Γαμηλιῶνος et τὰ δὲ ἐν ἄστει Ἐλαφηβολιῶνος nobis tradat, cur ei in

hac tertia τὰ μὲν κατ' ἀγροὺς μηνὸς Ποσειδεῶνος fidem abiudicemus, non uideo. etiamsi numerus singularis ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ᾗ Διονύσῳ ἄγετο ad id, quod sequitur, non quadrat et hoc posterius additum esse indicare uidetur, hoc tamen additamentum e fonte bono haustum est a grammatico quodam, qui terna Dionysia esse sciuit et rem melius explicandam esse iure censuit. præterea si glossam, qualis in lexico rhetorico Bekkeri et in scholio Æschineo extat, considerauimus, nescio an numerus singularis ferri possit. latine credo hoc nemini scrupulum iniecturum esse. »Dionysia sunt festum Bacchi Athenis: agrestia Posideone mense agebantur, Lenæa Gamelione, urbana Elaphebolione« i. e primum, quid uox significet, explicatur, deinde species afferuntur; et re uera, si uir quidam doctus in lexico uocem Διονύσια explicare uoluit, Διονύσια ἑορτὴ Ἀθήνησιν non sufficit; sed quot festa Bacchi agerentur, exponendum erat. quare explicatione illa quam maxime opus est. Anthesteria omisit, quippe quæ uulgo Dionysia non appellarentur (uide supra l. l.).

Idem tempus testatur Theophrastus Char. 3 in fine (XXIV), quem locum Gilbert p 72 sqq interpolatum esse efficere conatus est. primum e rationibus quibusdam subtilibus hoc enuntiatum aptum non esse contendit, quod neque ego uideo neque philologi Lipsienses octo, qui librum nouissime edentes transpositione Schneideri recepta — nam in libris mss. uerba κἂν ὑπομένῃ κτλ. hæc antecedunt — id retinuerunt. cum antea extet καὶ τίς ἐστιν ἡμέρα σήμερον, hominem de fastis loqui pergere consentaneum est. quod ὡς huic sententiæ longiori præmissum est, mirum non est, etiamsi ante priores breuiores non extat. hæc causa damnandi non est. deinde Gilbert interpolationem ex glossis marginalibus explanare studuit, quod ei uix contigit. nam etiamsi Βοηδρομιῶνος μέν ἐστι τὰ μυστήρια glossa ad uerba μυστηρίοις

μεγίστην δᾷδα ἔστησε esse potest, ceteræ glossæ esse non possunt. si quis uerba τὴν θάλατταν ἐκ Διονυσίων πλώιμον εἶναι explicare uoluit, num Ποσειδεῶνος τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια scripsit? fieri non posse, ut mense Posideone nauigatum sit (cf. Hes. op. 618 sqq), non curo, quod Gilbert hic ad calendaria uitiosa confugere potest; quodsi quis et scholiasta inprimis Διονύσια tantum legat et hoc uerbum explicare uelit, statim de Dionysiis magnis cogitat; quare h. l. sine dubio Διονύσια Ἐλαφηβολιῶνος scripsisset. unde Πυανοψιῶνος δὲ τἀπατούρια uenerit, nimis spinose Gilbert exponit. doctum enim hominem, qui enuntiatum insereret, fastos inspexisse, ut glossam Βοηδρομιῶνος μέν ἐστι μυστήρια adderet, et in his transscribendis uerbis illa quoque, quæ iuxta hæc inuenisset, recepisse credit. quodsi Apaturia et mysteria ex fastis petiit et hæc ad iusta tempora in iis relata sunt, fasti iusti fuerunt, ut iis fidem habendam esse appareat. sed Gilberti gratia eos in Dionysiis agrestibus ipsis errauisse credamus. licuisset fortasse, si aliis inuictis certisque argumentis sententiam fulcire potuisset; sed etiamsi huius auctoris ueteris ratio non habetur, recto talo non stat.

Hoc enim e testimonio certissimo inscriptionis CIA, II, 578 (XXXI) constat, quæ finem huic disceptationi imponit. quæ quoniam inuenta est loco, qui nunc Marcopulus dicitur, ubi olim situs erat Myrrhinus demus, huius pagi decretum esse apparet. Koehler in CIA in ea de administrandis pagi pecuniis statui dixit, at paulo aliter accipienda est. cum primum conexum rerum et sententiam litterarum dispicere possumus — nam primæ sunt euanidæ — in iusiurandum incidimus, quod iis, qui administrationem et rationes demarchi prioris anni dispungebant, dandum erat. hi sunt, qui u. 14 συνήγοροι et qui u. 17 οἱ δέκα οἱ αἱρεθέντες nominantur. tum ut demarchus iusiurandum præeat eorum eosque in suf-

fragium mittat, dein si quis eo contentus non sit, qua condicione ad demum prouocare liceat, statuitur. sequitur paragraphus, quæ multam intentans demarchum has res in contione quadam peragere iubet, quæ quando fuerit, in parte euanida extitit, sed primam eam fuisse facile intellegitur. itaque in hac tota re de munere demarchi agitur. sequitur sententia, qua fortasse maxime nisus Koehler l. l. de pecuniis administrandis dixit, quoniam de pecunia quadam pignore accepto commodanda statuitur. quæ autem hæc sit pecunia, nescimus, nisi enuntiatum condicionale l. 26, 7 explere possumus. legitur ἐὰν δὲ ἀφῆι, ὀφειλέτω (numerus euanidus) δραχμάς. ἐὰν OET (quinque litteræ euanidæ) EI ἀργύριον, δανείζειν τοὺ(ς) ἱερέα[ς ἀ]ξιοχρείωι ἐπ[ὶ κτλ. in enuntiato illo et subiectum et uerbum desiderantur, quæ e litteris, quas capitales descripsi, una cum quinque euanidis efficienda sunt. ὁ nimirum articulus subiecti est, -ει h. e. -ηι terminatio uerbi coniunctiui modi, cum hoc in titulo sæpius ει pro ηι scribatur. si litteræ seruatæ recte traditæ sunt, non uideo, quid fuisse possit nisi ἐὰν ὁ ἔτειος ϑῆ. non solum τίϑεσϑαι, sed etiam τιϑέναι de pecunia soluta uel deposita uel pignore dicitur; ad ὁ ἔτειος facile δήμαρχος auditur. hac coniectura probata demarchum annuum pecuniam pignori opponere potuisse apparet, qua, ne in administratione pecuniæ pagi fraudem committeret, caueretur, sacerdotesque si pecuniam deponeret, eam mutuam dare oportuisse; quamobrem hæc quoque paragraphus ad demarchum referenda est. l. 32 sqq de sacro quodam demarcho perpetrando uerba fiunt. l. 36 sqq, quibus de rebus nono die Posideonis agendum sit, præscribitur. hic quoque demarcho multa intentari uidetur, nisi præcepta explet (l. 40). cum res ita se habeant, dubium non est, quin hoc in titulo, quæ munera officiaque et sacra et profana demarchi essent, et quo modo et quibus diebus administranda essent, per

menses et per dies digestum sit. fragmentum, quod ad nostros oculos peruenit, duas contiones tantum unumque sacrum recenset. prima contio maximi momenti erat, quod in ea demarchum prioris anni administrationis rationes reddere oportebat; in altera de Dionysiis demi et aliis rebus, quæ interciderunt, agendum erat. nam dubium non est, quin πε (sex litteræ euanidæ) ϸσιων πε[ρὶ Διον]ϸσίων supplendum sit. cogitauerit quispiam de θυσιῶν, quod quomodo inseri possit, non uideo, neque aptum est, cum, quæ essent sacra, dicere necesse fuerit. ad hoc autem spatium non uacat. quoniam hæc contio die undeuicesimo mensis Posideonis habenda erat, Dionysia haud ita multo post illum diem acta esse apparet, ut neque una cum Anthesteriis post duos pæne menses neque una cum Lenæis post uiginti fere dies, sed suo die mense Posideone ea celebrata esse eluceat. quanti momenti Dionysia agrestia Myrrhinusiis fuerint, etiam apparet, cum multam intentantes cauerint, ne demarchus de iis certo die agere omitteret.

CIA II 470 l. 63 sqq corona ephebis decernitur, quod sacrum fecerunt Baccho; adiectiuum euanuit, sed cum Mommseno Heort. 336 [Πειραϊκ]ῷ restituendum esse uerisimile est. cum decretum die XI. Gamelionis factum sit, Gilberto quoque p. 152 Dionysia Piræa paucis diebus ante acta esse statuere necesse erat (uno mense ante Anthesteria!); cum autem in eodem titulo l. 73 sqq. die VI. Thargelionis corona hederacea ephebis decernatur, quod sacrum fecerunt in pompa Bacchi (sc. Eleutherei), magis consentaneum est spatium maius inter Dionysia agrestia et populi scitum intercedisse, ut Posideone ea agerentur. apparet igitur hunc titulum, si supplementum illud maxime uerisimile probamus, Dionysia agrestia ante Lenæa acta esse testari et nostram sententiam corroborare.

De natura atque origine feriarum Bacchi.

Postquam eam, quam de temporibus, quibus celebrarentur Bacchi feriæ atticæ, Boeckh ingenii acumine maximo protulit ac probauit sententiam, argumentis ueteribus retractatis nouisque allatis contra Gilbertum eosque, qui eum sequuntur, inprimis certissimis testimoniis lapidum confirmaui, multo difficilior in examen uocanda est quæstio. de eo enim agitur, e quibus opinionibus et originibus Bacchi feriæ ortæ sint, quid significent, quid iis agendis a deo impetrare uoluerint cultores pii. hoc quidem sæculis præterlapsis difficillime enucleatur et ægre conicitur, cum memoria significationis uetustæ obscurata sit et posteri ratione alia easdem peragant cærimonias et scriptores causas, quæ ætiologicæ uocantur, magis quam ueras exponere ament. plane tamen desperandum non est, quoniam scimus, quanta religiositate ritus antiquitus traditos ueteres conseruauerint, etiamsi eos non intellegerent. harum feriarum ratio satis simplex et perspicua uidebatur; nam Bacchus hominibus uinum dedit, quo animos relaxantes negotiorum molestiarumque obliuiscebantur; itaque festa dei, quæ gaudio et lætitia exultantes agebant, etiam uini festa esse uidebantur. hoc Boeckh pro uero duxit et Fritzsche, hoc Au-

gustus Mommsen summa cum constantia persecutus est. (Heort. 44 sqq, Fest. Ath. 356, 375, 387 sqq). de Lenæis oblocutus est Gilbert p. 39 sqq; cum is autem de temporibus falsa protulisset, originem et naturam quoque feriarum haud recte comprehendit. Anthesteriis uinum nouum consecratum esse satis constat, Dionysia agrestia et Lenæa uindemiæ causa acta esse Boeckh plerisque persuasit. quamquam iam Mommsen Heort. 325 sqq et Gilbert p. 40 tempora non conuenire explicauerunt, hæc sententia refutanda est, antequam plura disputamus, cum uulgo probata sit.

Quæ ratio inter Dionysia et uindemiam intercedat, quæritur.

Hac in re de tempore uindemiæ agitur, quæ si longius a festis abest, alia causa iis quærenda est. ut Lenæa ad uindemiam referre possit, Boeckh p. 136 eam dilatam esse dicit et hoc confirmare conatur exemplo ex Hungaria petito, ubi locis quibusdam in finem Nouembris uel initium Decembris decreto regis dilata est [1]). sed potius testimonia scriptorum ueterum consideranda sunt quam exemplum longinquum et satis unicum afferendum, ut opinatio præcepta probetur. Hesiodus op. 609 sqq præscribit, ut uindemia Arcturo heliace, quod dicimus, oriente fiat i. e. post diem XVIII. Septembris iuliani. decimo sexto die post uuæ premendæ sunt. e u. 673 sqq idem tempus computatur. tempus enim ad nauigandum aptum u. 663 sqq L post solstitium æstiuum dies dicit esse; u. 674 nautam iubet μηδὲ μένειν οἶνόν τε

[1]) Inuenit hoc Kanngiesser, Die alte Kom. Bühne 225 sqq. in Italia fieri potuit, ut uuæ perciperentur etiam Kal. Ian. Plinius N. H. 18 § 319 *sed iam et Kal. Ian. defectu uasorum uindemiantis uidi;* sed hoc male factum.

νέον καὶ ὀπωρινὸν ὄμβρον. itaque nouum uinum initio Octobris pressum erat. item Plato de leg. 844 E τὴν ὥραν τὴν τοῦ τρυγᾶν Ἀρκτούρου ξύνδρομον. cf. Thuc. IV, 84 ἐν δὲ τῷ αὐτῷ θέρει εὐθὺς — — — ὀλίγον πρὸ τρυγητοῦ ἐστράτευσεν. CIA III 77 l. 4 Βοηδρομιῶνος — — η̄ι τρυγ[η]τὸν Διονύσῳ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς ἀν[υπ]ερ-[θέτως]. paulo posterius tempus Plinius N. H. 18, § 319 indicat: *iustum uindemiæ tempus ab æquinoctio ad Vergiliarum occasum dies XLIV* (XI. Nov. Cæsari sec. ipsum); sed ne hoc quidem modo ad Posideonem et Gamelionem peruenimus. in calendario figurato, quod nunc in pariete ecclesiæ Atheniensis est, quæ Παναγία Γοργοπίκο uocatur, post puerum, qui εἰρεσιώνην fert, iuuenem nudum uidemus, qui manu uuam tenet uuasque calcat, quem canephorus sequitur et post eam scorpionis signum. puer Pyanopsia repræsentat, ut iuuenis, cuius imaginem ad festum uindemiale referendam esse apparet, etiam ad hunc mensem pertineat. etiamsi in hoc calendario menses uno mense posteriores sunt, eo tempore, quo constitutum est festum, Pyanopsio partes Septembris et Octobris complectebatur. duo etiam sunt nomina stellarum, quæ ad uindemiam spectant. stellæ, quæ προτρυγητὴρ et τρυγητής, latine Vindemitor et Prouindemia, appellantur, fine Augusti uel initio Septembris apparebant, ut, si ulla causa nominum aderat, uindemia non multum ab eo tempore distare posset. [1])

[1]) Statuit Ideler, Sternnamen 49 scholium ad Arat. u. 91 secutus, ubi in fine extat λέγεται (Ἀρκτοῦρος) καὶ Τρυγητής, Vindemitorem eandem atque Arcturum esse stellam. quo loco coeli προτρυγητὴρ collocatus sit, ex Arato u. 137 apparet τῆς (παρθένου) ὑπὲρ ἀμφοτέρων ὤμων εἱλίσσετο ἀστὴρ [δεξιτερῇ πτέρυγι· Προτρυγητὴρ δ' αὖτε καλεῖται]. et scholio ad h. l., quod etiam causam nominis indicat: πρὸ γὰρ τῆς τοῦ τρυγητοῦ ὥρας ὀλίγον προανατέλλει. consentit Vitruuius IX, 6, 1. his autem obstant uiri astrologiæ peritissimi, Plinius N. H. 18 § 309 et Columella IX, 2, 58 (*VII.*

Tempus igitur Dionysiorum agrestium et Lenæorum cum uindemia non congruit; quare si cui hoc concesso uocem Lenæorum e ληνῷ, prelo, deriuari adeo certum ui-

---

cal. Sept. Vindemiator exoritur mane, et Arcturus incipit occidere), apud quos Vindemitorem et Arcturum duas stellas esse manifestum est. quibuscum calendarium Clodii Tusci (in libro Lydi de ost. ed. Wachsmuth) consentit. die XXII. Aug. Virgo i. e. caput Virginis, XXVII. Vindemitor (τρυγητής) oriri dicitur. ad diem XXX. hæc habet ὁμοίως, τῆς παρθένου ἀνίσχούσης, ubi nescio an melius οἱ ὦμοι τῆς παρθένου ἀνίσχουσι scribatur; de iis enim agi e Colum. XI, 2, 58 recte Wachsmuth ad l. conclusit, et in hoc ipso calendario media Virgo die IX. Sept. exoriri dicitur (sic nunc Unger in ed. secunda Wachsmuthii). quare Vindemitorem huius calendarii eundem locum ac Prouindemiam supra umerum Virginis occupantem eandem esse stellam apparet. sed ad diem IV. Sept. extat ἀρκτοῦρος ἀνίσχει σὺν τῷ τρυγητῇ; hunc Vindemitorem stellam sideris Arcturi esse opus non est; nam eodem modo aliis locis de duobus sideribus una orientibus dicitur ex. c. ad diem XIV. Sept. αἱ πλειάδες ἀνίσχουσι σὺν τῷ ἵππῳ; et præterea sidus, in quo Arcturus est, Aratus Geminus Ptolemæus Arctophylacem, stellam — quæ etiam Vindemitor esse creditur — Arcturum uocant. Prouindemiam et Arcturum ad eundem diem referri, quamquam illa paulo ante hunc oritur Euctemon apud Pseudo-Geminum, qui Vindemitorem ab Arcturo seiungens cum ceteris conspirat, testatur Εὐκτήμονι προτρυγητὴρ φαίνεται, ἐπιτέλλει δὲ καὶ ἀρκτοῦρος (VI. Sept.). differunt inter se apparere et exoriri. quare credo epitomatorem calendarii Clodii Tusci, cum res in breuius cogere uellet, eas recte definire omisisse. ex. c. quamquam Arcturus die IV. Sept. exoriri et VIII. apparere dicitur, die XII. denuo exoriri significatur. ad duas partes sideris uel duos auctores, quos significare oblitus est epitomator, hæc referenda sunt. quæ cum ita sint, uulgo eandem stellam Vindemitorem ac Prouindemiam appellatam esse uerisimile est, eam primum Vindemitoris nomen habuisse, posteros autem, qui in rebus astrologicis accuratiores erant, cum eam haud paulo ante uindemiam exoriri obseruauissent, nomen in Prouindemiam, προτρυγητήρα, quod aptius erat, mutauisse credo. cum igitur Vindemitoris nomen superuacaneum factum esset, alia stella eodem tempore exoriens sic appellari potuit ut Arcturus schol. ad Arat. u. 91.

detur, ut ea de causa Lenæa ferias torcularias fuisse censeat, ea a loco proprio in Gamelionem translata esse ponendum est. hæc sententia Bergkii est Griech. Lit. gesch. III, 16 sq., qui oraculum delphicum Athenienses iussisse putat Lenæa in hiemem transferre, ut in id tempus inciderent, cum orgia Bacchi in Parnasso celebrarentur. quod admitti non potest. nam primum mirum est ferias, quæ uindemiæ causa agebantur, a uindemia solutas et post id tempus, cum semina nouæ segetis terræ mandabantur [1]), actas esse. porro orgia in Parnasso circa brumam (Ouid. Fast. I, 394), Lenæa autem die XII. Gamelionis mense fere post brumam celebrabantur, ut tempora non conueniant. denique ionica quoque Lenæa eodem tempore atque Atheniensia acta cognouimus; sed uix fieri potuit, ut tempus feriarum iussu oraculi ubique mutaretur. de nomine mensis u. p. 36 ann. quæ cum ita sint. Lenæa festum torcularium non esse apparet.

Antequam ad festa singula examinanda transeo, facere non possum, quin de uoce τρυγῳδία loquar, de qua et ueteres et hodierni uiri docti mira prodiderunt, quoniam cum quæstione, de qua agitur, ea quodammodo cohæret. nam scriptor de com. III, 7 ed. Didot hæc habet τὴν αὐτὴν δὲ καὶ τρυγῳδίαν φασὶ διὰ τὸ τοῖς εὐδοκιμοῦσιν ἐπὶ τῷ Ληναίῳ γλεῦκος δίδοσθαι, ὅπερ ἐκάλουν τρύγα, ex quibus Kanngiesser, Die alte kom. Bühne 227 et Boeckh

[1]) Hesiodus iubet arare incipere, qua uoce totam sementem significat (Ideler, Chronol. I, 242), Vergiliis orientibus (die III. Nov. iul.; op. 384, 614) uel grue commigrante (op. 448, Aristoph. Au. 710). neque is neque Plato (Phædr. 276 B) sementem uernalem respicit, quam antiquissimi non cognouisse uidentur. Gilbert p. 15 ad eam Hes op. 485 non recte refert. nam h. l. de eo agitur, qui serus, solstitio, arat, (ὀψαρότης u. 490), sed aratio uernalis, quippe quæ suo tempore fiat, sera dici non potest. u. 462 de nouali, non de aratione annua agitur. e u. 479 sqq. sementem ante brumam factam esse oportere apparet.

p. 137 sq Lenæa festum uindemiale fuisse apparere putant, quod uictoribus mustum ut præmium Lenæis daretur. uox τρυγῳδία aliæque cum uoce τρύξ compositæ, quæ pro κωμῳδία κωμῳδός κτλ. usurpantur, quantum scio, apud comicos et scholiastas et glossographos, qui ad eos se referunt, solos reperiuntur, e quo eas comicos inuenisse apparet. τρυγῳδία Aristoph. Ach. 499, 500, τρυγῳδός Vesp. 650, 1537. τρυγῳδικοὶ χοροί Ach. 886, quo breuius dictum est χοροὶ τρυγικοί Ach. 628, τρυγοδαίμονες Nub. 296. τρυγῳδοποιομουσική frg. 313. τρυγῳδεῖν· κωμῳδεῖν Hesychius etc. quid magis consentaneum? nam qua erat indole comoedia, pro uoce solenni alia uti amabat, cui comica uis inerat, et cum soror cothurnis incedens τραγῳδία appellaretur, ad huius uocis exemplum sibi nomen τρυγῳδία indidit, quod simul de Baccho, cuius in honorem comoediæ quoque agebantur, commemorabat et nomen uini præ se ferebat, quod comici ut donum optimum dei laudabant et in quo uis quædam quasi exultans latebat, quæ licentiæ comicæ simillima erat. id quoque alicuius momenti fuisse par est, quod huic uoci uis uilior inest (cf. τρυγόβιος Pollux 6, 27); eam enim comoedia semper præfert. posteri autem, quibus uox explicanda erat, hanc originem ignorantes in coniecturas uarias et arbitrarias delapsi sunt. antiquissima fortasse ea est, de qua iam Horatius a. poet. u. 277 loquitur, comoediam sic dictam esse, quod »peruncti fæcibus ora» partes agerent actores primi, quæ etiam in scholio ad Ar. Ach. u. 499 extat: τρυγῳδίαν ποιῶν· κωμῳδίαν· ἤτοι διὰ τὸ τρύγα ἔπαθλον λαμβάνειν, τουτέστι νέον οἶνον, ἢ διὰ τὸ μὴ ὄντων προσωπείων τὴν ἀρχὴν τρυγὶ χρίεσθαι τὰς ὄψεις, et apud scriptorem de com. ed. Didot III, 9, ubi uerbis p. priore allatis hæc subiunguntur ἢ ὅτι μήπω προσωπείων ηὑρημένων τρυγὶ διαχρίοντες τὰ πρόσωπα ὑπεκρίνοντο. hæc narratio maxime placuisse uidetur. inuenitur enim etiam

bis in schol. ad Ar. Nub. u. 296, ubi cum iocis e plaustris composita et interpolata est. οἱ τρυγοδαίμονες· οἱ ποιηταί· ἐπειδὴ τὴν τρύγα χριόμενοι, ἵνα μὴ γνώριμοι γένωνται, οὕτως τὰ αὐτῶν ᾄδον ποιήματα κατὰ τὰς ὁδοὺς ἁμάξης ἐπικαθήμενοι. διὸ καὶ παροιμία, ὡς ἐξ ἁμάξης λαλεῖ. ἄγουν ἀναισχύντως ὑβρίζει. τοῦτο δὲ ἐποίουν οἱ κωμικοὶ ποιηταί. abest tamen et a Rav. et a Ven. codicibus. et paulo infra postquam Aristophanem ad Eupolim Cratinum aliosque comicos poëtas hac uoce spectare dixit, subiungit scholiasta τρυγοδαίμονας δὲ τούτους καλεῖ, διότι πάντες οἱ κωμῳδοὶ τρυγὶ ἀνηλείφοντο. quod uictoribus ut præmium mustum daretur, comoediam τρυγῳδίαν appellatam esse esse tradunt schol. ad Ar. Ach. 499 (u. p. 89), de com III Didot (p. 88). schol. ad Ar. Ach. u. 398: τρυγῳδίαν δὲ εἶπεν ἀντὶ τοῦ κωμῳδίαν, διὰ τὸ τοῖς νικῶσι κωμικοῖς τρύγα δίδοσθαι, τουτέστι νέον οἶνον. hoc ad exemplum explicationis uocis tragoediæ fictum est, quæ sic uocari dicebatur, quod uictor hircum (τράγος) acciperet. scriptor de com. de Lenæis diserte loquens nos decipere non debet; nam iis comoedia propria fuit. apud Athen. II, 40 B alius de Icaria cogitauit, qui trygoediam ita appellatam esse nobis persuadere uult, quod ipso tempore uindemiæ (τρύγης) inueniretur. ueram explicationem ueteres nesciisse et tantum coniecisse iam ex eo apparet, quod hæsitantes bi as afferunt coniecturas. eæ satis ueteres sunt, Alexandrinis, credo, ascribendæ; nam iam Horatius unam nouit.

De Dionysiis agrestibus

Feliciter accidit, ut Aristophanes Dionysia agrestia quomodo suis temporibus agerentur, nobis ante oculis proponeret in illa scæna Acharnensium, de qua multa disputata sunt (p. 69 sqq.). in ea scæna ueram pompam Dionysiorum agrestium ruri agi supra demonstraui; itaque hoc testimonium plurimum ualet licentiæ poëtæ ra-

tione habita, cui res, quæ re uera fiunt, paulum immutare licet, ut fabulæ agendæ aptæ sint. res referam. Dicæopolis exiens u. 241 linguis fauere iubet, filiæ canephoro denotat, quo loco ei sistendum sit, seruum phallophorum adhortatur, ut phallum rectum statuat. quo dicto u. 244 filiam corbem deponere iubet, ut sacrificare incipiat. eum re uera sacrum perficere e uerbis sequi uidetur, quo facto Bacchum precatus pompam disponit, ut eam deducat, filiam corbem pulchre ferentem et seruum phallum rectum tenentem sequi iubet, ipse ultimus it ollam portans (cf. u. 284) et cantum in honorem phalli canens. uidemus Dicæopolidem non multum sacrum, sed præcipue pompam curare. dicat quidem aliquis sacrum in scæna uix fieri potuisse; nulla autem causa adest, cur pompa *post* sacrum agatur, nisi re uera ita factum est. e qua re apparet pompam sua causa agi neque, ut assolet, tantum agmen solenne esse, in quo uictimæ ad aram ducebantur. præterea hic fruges sacrificandæ erant (u. p. 103). porro notandum est Dicæopolidem, quamquam u. 248 se Bacchi pompam ducere uelle dicit, deum non morantem phallum tantum colere eiusque laudes canere. denique meminerimus Phaletem i. e phallum dei persona indutum, quem concelebrat Dicæopolis, prorsus non Bacchum, sed Bacchi amicum esse dici. paulo aliter Plutarchus de cup. diu. 8 (XXV) pompam ueterem describit, quæ ad sacrum perficiendum ire uidetur; nam caper uictima est Baccho immolanda, uino et ficibus ad epulas festas opus est, ultimus uenit phallophorus, qui hic quoque non abest. mihi pæne certum uidetur eum h. l. de Dionysiis agrestibus atticis loqui (obs! δημοτικῶς) e litteris ei notis (cf. non suau. u. sec. Epic. 16 (XXVI), quibuscum pompas magnificas sua ætate in urbibus magnis actas comparat. sed etiamsi morem boeoticum refert hunc attici simillimum fuisse apparet. hoc animaduersum uolo

et apud eum et apud Aristophanem pompam maximi esse momenti (ἡ ἑορτὴ ἐπέμπετο). phallicam pompam etiam commemorant schol. ad Clem. Alex. p. 29 Potter (XXVIII) et Heraclitus frg. 127 Byw. (XXVII). is quidem ea ipsa, quæ Dicæpolis agit, pompam et carmen, nominatim commemorat [1]). apparet phallum ubique eodem modo cultum esse. quanti momenti carmen phallophororum fuerit ex eo quoque apparet, quod inde comoediam natam esse testatur Aristoteles. cf. porro Hdt. II, 48.

Quoniam igitur pompa, in qua phallus circumferebatur, ritus est grauissimus Dionysiorum agrestium, nunc quæramus, quid sibi uoluerit phallus, cuius de cultu instituto uaria fabulantur ueteres. Herodotus II, 48 sqq. Melampoda morem ex Ægypto petiisse tradit; fabulam de Polyhymno uel Proshymno, amatore Bacchi, tradunt schol. Lucian. dea Syr. 16 Suidas aliique, quos uide curs. patrolog. ed. Migne t. VIII., 111, a. 93. schol. ad Lucian. deor. conc. 5 et dial. mer. VII, 4 (ed. Rohde Mus. Rhen. XXV, 557) narrant Icarium cultum Bacchi in Atticam inferre conatum necatum esse, quo facto ira dei pruritum infandum natum esse, cui ut mederetur, phalli dedicarentur. similia de Pegaso tradit schol. ad Ar. Ach. 243. quanti hæ fabulæ faciendæ sint, nemo non uidet. morem in Græcia frequentissimum fuisse ostendunt Herodotus de eo copiosius disserens et patres ecclesiæ, qui eum uehementissime increpant, ex. c. Arnob. adv. nat. V, 29 *totam interroget Græciam, quid sibi uelint ii phalli, quos per rura per oppida mos subrigit et ueneratur antiquus.* V. 39 *phallorum ista fascinorumque subrectio, quos ritibus annuis*

[1]) De hoc fragmento interpretando ualde certauerunt philosophi, u. ex. c. Schuster, Heraklit 336 sq, Pfleiderer, Die Philosophie des Heraklit 28. equidem h. l. credo Heraclitum ad fabulam de Icario uel aliam similem spectare. hoc enim modo uerba optime explicantur; qui fuerit conexus rerum, plane latet.

adorat et concelebrat Græcia. aliam narrationem pretiosissimam e Varrone petitam de simili more italico seruauit Augustinus ciu. Dei VII, 21 *in Italiæ compitis quædam dicit* (Varro) *sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis. ut in eius honorem pudenda uirilia colerentur, non saltem aliquantum uerecundiore secreto, sed in propatulo exultante nequitia. nam hoc turpe membrum per Liberi dies festos cum honore magno plostellis impositum prius rure in compitis et usque in urbem postea uectabatur. in oppido autem Lauinio* (? *launino* C^1; *lauino* C^2A; *lanuino* K Parr. rell.) *unus Libero totus mensis tribuebatur, cuius diebus omnes uerbis flagitiosissimis uterentur, donec illud membrum per forum transuectum esset atque in loco suo quiesceret. cui membro inhonesto matrem familias honestissimam palam coronam necesse erat imponere. sic uidelicet Liber deus placandus fuerat pro euentibus seminum, sic ab agris fascinatio repellenda.* utrum phallus curru uehatur, an manibus geratur, nihil interest, neque utrum oppidum an demus pompam ducat, quicquam ualet. mores græcus et italicus plane comparandi et componendi sunt, et cum statim appareat Augustinum morem rectissime explanare phallum *pro euentibus seminum* circumferri dicentem, nonne sequitur Atticos quoque phallum, qui generandi uim apertius quam uerecundius significat, Dionysiis agrestibus circumtulisse, ut messis opima surgeret e seminibus, quæ eo ipso tempore in terra condiderant? [1]) nam Hesiodus præscribit, ut sementis

[1]) Loquitur Agustinus de *fascinatione agris sic depellenda,* quod ueteres phallis, ut ἀποτροπαῖα essent, uulgo utebantur. hunc morem ab ea ui, qua fecunditatem et salutem phallus efficere credebatur, prouenisse et eodem consilio Priapi imaginem in hortis statutam esse credo (cf. O. Jahn. Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. zu Leipzig 1855, 68 sqq). — pompam per agros ductam esse Athenis ut Lauinii uerisimile est. pompa per agros sæpissime circumducitur, ut iis prosperitatem impertiat. sic Romæ Ambarualibus, cf. Catonem agr. cult. CXLI, et hunc morem ecclesia

initio Nouembris incipiatur et ante solstitium perfecta sit (u. p. 88 ann.). et Posideo Decembri fere respondet.

E Græcia exemplum tam insigne proferri non potest; quodsi reperimus phallum, quamquam non in pompa circumfertur, in aliis sacris fecunditatis impetrandæ causa coli, eo etiam magis confirmatur consilium Dionysiis agrestibus idem fuisse. Thesmophoria, quæ ab origine segetis causa acta esse Preller-Robert I, 777 putat. uel forsitan nunimum inferorum festum fuisse melius dicantur, quibus ritibus acta sint, certiores nos facit Rohde, qui duo grauissima scholia Lucianea edidit Mus. Rhen. XXV, 548 sqq, ad dial. meretr. II, 1 [1]) de Thesmophoriis, VII, 4 de Halois. in initio Thesmophoriis mos fuisse dicitur, ut sues uiui in speluncas quasdam deicerentur, quæ res etiam ex fabula ætiologica, quam de subus Eubulei una cum Proserpina deuoratis Clemens Alex. Protrept.

recepit (Mannhardt, Baumcultus 397 sqq). eadem de causa Germani pagani simulacra deorum per fines circumuexisse uidentur (cf. l. l. 567 sqq). deus noster, Frö, «*cuius etiam simulacrum fingunt ingenti priapo*», diserte traditur circumuectus esse, ut seges bene eueniret.

[1]) Schol. ad Lucian. dial. meretr. II, 1, l. 6 sqq. εἰς οὖν τιμὴν τοῦ Εὐβουλέως ῥιπτεῖσθαι τοὺς χοίρους εἰς τὰ χάσματα τῆς Δήμητρος καὶ τῆς Κόρης. τά δὲ σαπέντα τῶν ἐμβληθέντων εἰς τὰ μέγαρα καταναφέρουσιν ἀντλήτριαι καλούμεναι γυναῖκες, καθαρεύσασαι τριῶν ἡμερῶν· αἳ καταβαίνουσιν εἰς τὰ ἄδυτα καὶ ἀνενέγκασαι ἐπιτιθέασι ἐπὶ τῶν βωμῶν· ὧν νομίζουσι τὸν λαμβάνοντα καὶ τῷ σπόρῳ συγκαταβάλλοντα εὐφορίαν ἕξειν. — — — — τὰ δὲ αὐτὰ καὶ ἀρρητοφόρια καλεῖται, καὶ ἄγεται τὸν αὐτὸν λόγον ἔχοντα περὶ τῆς τῶν καρπῶν γενέσεως καὶ τῆς τῶν ἀνθρώπων σπορᾶς. ἀναφέρονται δὲ κἀνταῦθα ἄρρητα ἱερὰ ἐκ στέατος τοῦ σίτου κατασκευασμένα, μιμήματα δρακόντων καὶ ἀνδρῶν σχημάτων. λαμβάνουσι δὲ κώνου φαλλοὺς διὰ τὸ πολύγονον τοῦ φυτοῦ. ἐμβάλλονται δὲ καὶ εἰς τὰ μέγαρα οὕτως καλούμενα ἄδυτα ἐκεῖνά τε καὶ χοῖροι, ὡς ἤδη ἔφαμεν, καὶ αὐτοὶ διὰ τὸ πολύτοκον εἰς σύνθημα τῆς γενέσεως τῶν καρπῶν καὶ τῶν ἀνθρώπων, ὡς χαριστήρια τῇ Δήμητρι, ἐπειδὴ τὸν δημήτριον καρπὸν παρέχουσα ἐποίησεν ἥμερον τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος.

II, 17 p. 14 Potter narrat, antea cognita erat. qui ritus aliis quoque locis inuenitur. de lucu Cereris et Proserpinæ Potniensi Paus. IX, 8, 1 similem affert narrationem. ad quam rem subus ἐς τὴν ἐπιοῦσαν τοῦ ἔτους ὥραν usi sint Potniensis, malignitate librarii, qui uerba aliquot omisit, nescimus, nisi ritum ut Athenis ad fecunditatem spectare suspiceris. hoc sacrum Thesmophoriorum Preller-Robert I, 779 piaculum uocat. piaculares uictimas sues fuisse notum est, sed sæpe etiam diis inferiis pro segete sues mactari solebant, quod ex. c. in fastis myconensibus l. 16 (syll. Dittenb.[1] 373,[2] 615) diserte dicitur. Thesmophoriis ratio sacri non ea erat, ut sues tantum deicerentur; postea reliquiæ collectæ subducebantur, ut iis seminibus admixtis messis bene eueniret. et hunc quoque ritum sanctum esse ex eo apparet, quod reliquiæ putridæ aris imponebantur, antequam disseminatæ sunt. de hoc uide porro Frazer The golden bough II, 45 sqq. præterea scholiasta omnia, quæ narrat, ad fecunditatem hominum et scilicet pecorum quoque et fertilitatem agrorum impetrandam refert, quod res ipsæ confirmant. in his cærimoniis etiam phalli sunt, quod dilucide exposuit Rohde l. l. p. 551 sq. mysteriis Halimunte in demo attico celebratis, quæ sunt pars Thesmophoriorum, phallos frequentes fuisse et magnopere cultos esse testantur Clemens Alex. Protrept. p. 29 Potter et Arnobius adv. nat. V, 28; ex hoc Rohde l. l. conclusit ritus, quos scholium describit, ad ea mysteria pertinere. iure credo, nam talibus ritibus hic dies præter ceteros Thesmophoriorum insignis erat, et Mommseno quoque Heort. p. 29 mysteria Halimusia quondam sui iuris fuisse iudicanti prorsus assentior. in iis præter Cererem et Proserpinam colebantur Venus et deæ, quibus nomen perspicuæ significationis, Γενετυλλίδαι, inditum erat.

Ex altero scholio, quod Rohde edidit, noua de

Halois discimus, de quibus ante pauca sola comperta habuimus, ut nunc de natura harum feriarum iudicare possimus, quæ, ut breuiter dicam, Thesmophoriorum simillimæ sunt. primum autem scholiastæ ipsi obloqui necesse est, qui hæc dicit: ἑορτὴ Ἀθήνῃσι μυστήρια περιέχουσα Δήμητρος καὶ Κόρης καὶ Διονύσου ἐπὶ τῇ τομῇ τῶν ἀμπέλων καὶ τῇ γεύσει τοῦ ἀποκειμένου ἤδη οἴνου. non dubito hæc inuenta repudiare, quamquam ex parte iis assentiuntur C. Fr. Hermann Lehrb. d. gr. Alt. II², 391 et Preller Dem. et Pers. p. 328. Plutarchus, cui cognitio rei concedenda est, Anthesterione primum nouum uinum bibi bis asserit (Quæst. symp. III, 7, 1; VIII, 10, 3 (LIV, LV). cui etiam maior fides habenda est, cum infra demonstratum sit Choes ferias fuisse, in quibus primitiis Baccho libatis uinum nouum consecrabatur. Vinalibus die XXIII. Apr. Romani nouum uinum primum gustabant. itaque noui uini causa feriæ agi non potuerunt Posideone, quo mense Haloa celebrabantur (Harpocr. p. 17, CIA II, 834 b l. 8 u. supra p. 40). etiam absurdior altera causa est: ἐπὶ τῇ τομῇ τῶν ἀμπέλων, quod de uitibus putandis accipiendum est (cf Theophr. c. plant. 3, 13); hoc Arcturo oriente (die XXIV. Febr. iul.) fieri iubet Hesiodus op. 570; cf Columella XI, 2, 26. nimirum Halois ut Dionysiis agrestibus uinum non aberat, cuius satis magna copia consumebatur, gaudiisque festi et uini feriantes se dabant, ut ferias, præsertim cum Bacchi essent, uini causa celebrari potius quam uinum festi causa adesse facile fingi posset [1]). pergit scholiasta:

[1]) Rubensohn Die Mysterienheiligtümer 116 sq Bacchum Halois ab initio non præcipue ueneratum esse ostendit. nam in titulis CIA IV, 2, 477 c, 614 b Halois sacrificatum esse dicitur τεῖ τε Δήμητρι καὶ τεῖ Κόρει καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς, οἷς πάτριον ἦν; Bacchus igitur non nominatim commemoratur. quamobrem non ad uinum imprimis Haloa spectant.

γινόμενα παρὰ Ἀθηναίοις, ἐν οἷς προτίθεται ⟨πέμματά⟩ τινα αἰσχύναις ἀνδρείοις ἐοικότα, περὶ ὧν διηγοῦνται ὡς πρὸς σύνθημα τῆς τῶν ἀνθρώπων σπορᾶς γινομένων. ex his uerbis phallos adfuisse uidemus; ut Thesmophoriis ita Halois mysteria fiebant, quorum feminæ solæ participes erant. qualia fuerint, audiamus: l. 20 ἀναφωνοῦσι δὲ πρὸς ἀλλήλας πᾶσαι αἱ γυναῖκες αἰσχρὰ καὶ ἄσεμνα, βαστάζουσαι εἴδη σχημάτων (Rohde, σωμάτων mss) ἀπρεπῆ ἀνδρεῖά τε καὶ γυναικεῖα — — — — πρόσκειται δὲ ταῖς τραπέζαις καὶ ἐκ πλακοῦντος κατασκευασμένα ἀμφοτέρων γενῶν αἰδοῖα. imagines loci muliebris, quæ rariores sunt, ob eandem rem adhibentur ac phalli; ex. c. Thesmophoriis syracusanis μύλλοι ex sesamo et melle confecti in honorem dearum circumferebantur (Athen. XIV, 647 A); in Italia phalli Libero, partes femineæ Liberæ dedicabantur (Augustin. ciu. Dei VI, 9). Haloorum insignia sunt hæ imagines et intemperantia uerborum, quæ solennes sunt in iis festis, quibus fecunditas elicitur. quam Thesmophoriis similia sint, unicuique statim occurrit; uulgo autem Haloa ad messem extritum spectare credunt significatione nominis inducti. sic iam ueteres; Philochorus apud Harpocrationem et Suidam Ἁλῶα· ἑορτή ἐστιν Ἀττικὴ τὰ Ἅλῶα, ἣν φησι Φιλόχορος ὀνομασθῆναι ἀπὸ τοῦ τότε τοὺς ἀνθρώπους τὰς διατριβὰς ποιεῖσθαι περὶ τὰς ἅλως. ἄγεσθαι δὲ αὐτήν φησιν ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν Ποσειδεῶνος μηνός. ἅλως enim aream, ubi frumenta teruntur, significat; quare Ἁλῷα festum areæ interpretabantur (Tennenfest). hoc recepere Preller-Robert I, 768 et Mommsen Fest. Ath. p. 359 aliique. ueteres autem hac in re non tanta concordia, quanta nunc est, usi sunt. anecd. Bekk. I, p. 384 tres proponuntur sententiæ; Ἁλῶα· ἑορτὴ Δήμητρος καὶ Διονύσου. προσηγόρευται δὲ διὰ τὸ ταῖς ἀπαρχαῖς ταῖς ἀπὸ τῆς ἅλω τότε καταχρήσασθαι, φέροντας εἰς Ἐλευσῖνα· ἢ ἐπεὶ ἐν ἅλωσιν ἔπαιζον ἐν τῇ ἑορτῇ. ἤγετο δὲ ἐπὶ τῇ συγκομιδῇ τῶν καρπῶν

ἑορτὴ Ἅλῳα, ἐν ᾗ καὶ Ποσειδεῶνος πομπή. ἀπὸ δὲ τοῦ συναυλίζεσθαι, ἐνθεν καὶ ἅλως. nihil ualet altera nec multum prima; has etiam exhibet Eustathius ad Il. IX, 530. primitiæ, quæ commemorantur, eæ sunt, de quibus Eleusinem deferendis in titulo CIA IV, I, 27b = syll. Dittenb.[1] 13, [2]20 præscribitur. ut hanc ob rem festum institutum sit, fieri non potest. in titulo dies, cum traderentur frumenta, constitutus non est, sed magistratus, qui ἱεροποιοὶ appellantur, frumentum ab iis, qui id exigebant (ἐγλογεῖς), intra quintum diem accipere iubentur. ergo quolibet tempore tradi potuit. scholio Lucianeo supra reiecto, quod ad uinum festum refert, restat, quæ excutiatur, prima illa sententia, quæ etiamsi nunc omnibus placet, ueterum multos non statim admisisse uidimus. qua in re iusto usi sunt iudicio; nam quominus eam probemus, eo prohibemur, quod eo mense, cum Haloa agebantur, frumentum non exterebatur. ueteres enim mergites non condidisse, ut nobis mos est, sed extemplo sub diuo extriuisse norunt omnes; quod hieme pluuia fieri non potuit, sed statim messe facta. qua in re Hesiodum, idoneum auctorem, sequor, qui op. u. 597 sqq agricolam frumentum Orione oriente i. e. die IX. Iulii iul. exterere iubet. cf. glossam Suidæ: ἀλοητός· ὁ καιρὸς τοῦ θέρους [1]). quamobrem Haloa frumenti extriti causa acta esse non possunt [2]). quæ opinatio eo aucta est, quod alterius

[1]) Festum arearum Posideone mense agi non posse recte obseruauit Corsini, Fasti att. II, p 304, sed remedium prauum adhibens in Hecatombæonem id transferre conatus est. eadem de causa Mommsen Fest. Ath. p. 365 id ab origine Pyanopsione actum esse dicit.

[2]) Paus. I, 38, 6, ut Halois hanc naturam fuisse demonstretur, adhiberi nequit. isquidem campum rharium primum consitum esse narrat, in quo ἅλως καλουμένη Τριπτολέμου καὶ βωμὸς δείκνυται. hanc aream cum Halois coniungere arbitrarium est. quod hic campus primus consitus erat, ibi etiam prima

tantum significationis uocis, e qua nomen festi deriuatum est, ratio habita est. alteram uiam scholiasta Luciani indicat, qui e uoce ἀλωή i. e. uinea nomen deduxit,[1]) sed media in uia constitit. ἀλωή Iones et, qui dialecto ionica usi sunt, dicebant; ἄλως forma attica eiusdem uocis est. ἀλωή non solum aream, sed etiam uineam et pomarium et agrum excultum, qui uallis circumsæptus est, significat. u. Σ 561. E 90. ζ 293 et uerba sollennia γουνὸς ἀλωῆς. tum Ποσειδάωνος ἀλωή Oppian. Hal. 1, 797, Neptunia prata. Schol. Nicandri (e Steph. Thes. affero) ἄλωα καὶ ἀλωή· λαχανοφόρος τόπος. uoces easdem esse optime confirmat Aratus u. 811, a quo uoce ἀλωή halos, quæ circa lunam est, significatur. si Ἄλῷα ab hac significatione uocis deriuantur, festum uinearum et pomariorum et agrorum causa celebratum esse indicatur; et tum ritus, quibus feriantes utebantur, intelleguntur. agebantur Haloa ut Thesmophoria Halimusia, quibus ea simillima esse iam dixi, ut fecunditas cærimoniis et signis mysticis, quorum primarius erat phallus, quæreretur, eaque ad fertilitatem terræ præcipue spectare nomen significat. etiam magis hæc natura constat, si pompa Neptuni, de qua lexicographus Bekkeri l. l. loquitur, Neptuno φυταλμίῳ iure ascribitur (Stark in Lehrb. d. gr. Alt. C. Fr. Hermanni II[2] § 57, 7.)

Eodem mense atque Haloa Eleusinios Dionysia agrestia egisse lapides nos docent, quæ in titulo macedonicæ ætatis CIA IV, 2, 597 c Διονυσίων ὁ πάτριος ἀγὼν uocantur, ut in aliis titulis l. l. 614 b, 619 b, c ὁ πάτριος

area erat, eique, qui fruges Cereris dabat, area quoque facienda erat. hæc Pausaniæ monstrata est; de festo, quod cum ea conexum esset, nihil tradidit. aream commemorat titulus Eleusinius mutilatus CIA IV, 2, 834 b II 21.

[1]) Schol. ad Luc. dial. mer. VII, 4 l. 33 ἁλῶα δὲ ἐκλήθη διὰ τὸν καρπὸν τοῦ Διονύσου· ἅλωαι γὰρ αἱ τῶν ἀμπέλων φυτεῖαι.

ἀγὼν τῶν Ἁλῴων legitur. forsitan ad hunc agonem προσβάθραι pertinent, de quibus CIA II 834 b, l. 8 (u. p. 40) uerba facta sunt. scholiasta Luciani Baccho Cereri Proserpinæ Haloa acta esse tradit; iisdem diis Dionysia agrestia Eleusinia tribuit titulus CIA IV, 2, 574 b, ut simulacrum alterius festi alterum pæne uideatur; quamobrem iam diu uiris doctis in mentem uenit idem festum duobus nominibus appellatum Haloa et Dionysia agrestia Eleusinia fuisse (Preller in encycl. Paulyi II, 1060 ann. in fine, cf. etiam C. Fr. Hermann Lehrb. d. gr. Alt.[2] II § 57). hoc tamen reiciendum est, quod satis magna copia titulorum Eleusine reperta, in quibus utrumque festum sæpius commemoratur, semper inter ea accurate distinguitur, et Bacchus, ut Rubensohn uidit (u. supra p. 96 ann.), ætate posteriore deabus Haloorum adiunctus est. quamquam igitur Dionysia agrestia et Haloa non idem sunt festum, similitudo tamen insignita erat, quæ sensim aucta et amplificata est. et nisi festa ab origine inter se similia fuissent, causa nulla adfuisset, cur hæc similitudo augeretur; hoc quidem ad Dionysia agrestia intellegenda nonnihil ualet [1]). (aliter, non recte Rubensohn p. 121).

[1]) Haloa in aliis quoque demis acta esse ut demonstretur, Alciphr. ep. I, 39, 8 adhibetur τοῖς Ἁλῴοις δὲ ἐν Κολλυτῷ ἑστιώμεθα παρὰ τῷ Θεττάλης ἐραστῇ. τὸν γὰρ τῆς Ἀφροδίτης ἐρώμενον ἡ Θεττάλη στέλλει. ὅπως δ' ἥξεις φέρουσα κηπίον καὶ κοράλλιον καὶ τὸν σὸν Ἄδωνιν, ὃν νῦν περιψύχεις. libri ἀλώοις, Pierson et Meineke Ἀδωνίοις, quod repudiauit Augustus Mommsen Burs. Jahresber. 1889, 3, 250, cf. p. 253; sed ratione temporum habita lectionem librorum mss. prauam esse necesse est, si qua Alciphroni rerum Atheniensium cognitio ascribenda est; sin minus, quod dixit, neglegendum est. inuitat hac in epistula Megara hetæra aliam Bacchidem, ut ad conuiuium ueniat. § 1 legimus κληθεῖσα ὑπὸ Γλυκέρας ἐπὶ θυσίαν τοσοῦτον χρόνον — ἀπὸ τῶν Διονυσίων (sc. τῶν ἐν ἄστει) γὰρ ἡμῖν ἐπήγγειλεν. deinde quæ in conuiuio apud Glyceram acta sint, enarrat. § 8 νῦν μὲν οὖν συγγνώμην ἔχομέν σοι τῆς ὑπεροψίας, τοῖς κτλ. (uerba in initio allata hæc ex-

In his sacris uerbis turpibus feminæ utebantur, quæ ut phalli ad ritus ob fecunditatem perfectos pertinebant; eundem morem Italorum fuisse Augustinus narrat l. l. p. 93, eumque etiam Dionysia agrestia communicauisse carmen indicare uidetur, quod Dicæopolis u. 263 sqq. in honorem Phaletis canit, quamquam Aristophanes id ita composuit, ut fabulæ consilioque suo aptum esset. Dicæ-

cipiunt). hoc conuiuium non ita multo post Dionysia magna celebratum esse apparet; τοσοῦτον χρόνον dimidium fere mensis esse potest, neque multo longius temporis spatium intercedere potest. alteri conuiuio, ad quod inuitatur Bacchis, dies iam constitutus est (§ 8), quare hoc in Haloa i. e. in mensem post Dionysia magna nonum differre non licet. quamobrem uera est emendatio Piersonii. Adonia Thuc. VI, 30 cum Plut. Alc. 18 et Nic. 13 collato media æstate (θέρους μεσοῦντος) acta esse sequitur, nisi memoria Plutarchum aut quem sequitur auctorem fefellit, ut hoc modo ea, quæ in Aristoph. Lys. u. 389 sqq extant, falso interpretaretur; quod præsertim si Alc. 18 respicias, haud abhorrere uidetur. poëtæ testimonio maiorem quam Preller-Robert I, 362, ann. 1 fidem habendam esse censeo. nam a. 411 a. Chr. n. si quis de expeditione sicilica locutus sit, de ordine temporum errare non licuit. cum plures de bello contiones haberentur, tempus, ad quod Aristophanes spectat, eo posterius fuit, quo Thuc. VI, 8 legatos e Sicilia rediisse narrat (τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους ἅμα ἦρι). post Dionysia magna mare nauigabile erat (Theopr. Char. III), ut contio, de qua loquitur, mense fere post illa habita esse posset, quocum ratio temporum, quam exhibet epistula Alciphronis, optime consentit. quare Adonia mense Munychione uel Thargelione celebrata esse puto. Plato Phædr. p. 276 B ad alteram sententiam confirmandam adhiberi nequit. θέρος iusto tempori sementis, quod autumnus est, opponitur et Adonia anni tempore calido acta esse significat, ad quod ii duo menses, quos indicaui, etiam pertinent. cum § 8 τὸν γὰρ τῆς Ἀφροδίτης ἐρώμενον ἡ Θεττάλη στέλλει Adonia alexandrina, quæ Theocr. XV, u. 78 sqq describit, comparanda sunt. cum Halois cohærere sacrum tetrapolis atticæ Γῆι ἐγ γύαις factum in titulo Amer. Journ. of Arch. X, p. 209 sqq suspicio tantum est (de Prott fast. sacr. p. 52).

opolis. cui tam diu tædium uitæ urbanæ et molestiam belli perferre necesse erat, pace facta rus redux lætitia exultans Phaletis, sodalis Bacchi, laudes carmine dicit, quod sibi gaudia ruris et Veneris dederit. quam crebra carmina phallica fuerint, pulchre scimus cum e lexicographis tum e loco Aristotelis, ubi originem comoediæ iis ascribit eaque sua ætate in multis oppidis seruari dicit. animaduertendum est ea potius phallum, signum fecunditatis, celebrare quam Bacchum, ut iam nomen carminis (ithy)phallici prodit; cf. nomen metri ithyphallici (schol. Hephæst. 35, 7 ed. Gaisf.) et glossas ex. c. Hesych. φαλλικόν. — — ᾠδὴν αὐτοσχέδιον ἐπὶ τῷ φαλλῷ ᾀδομένην. quem Dicæopolis canit, est sodalis Bacchi, non Bacchus, isque Phales nemo est nisi phallus dei persona indutus (φαλῆς = phallus Ar. Lys. 771, Lucian Iup. trag. 42, Hes. s. u. Θυωνίδας). in altero carmine phallophororum a Semone delio nobis seruato, Athen. XIV. 622 B, phallus ipse deus uocatur: ἀνάγετε, εὐρυχωρίαν τῷ θεῷ ποιεῖτε. ἐθέλει γὰρ ὁ θεὸς ὀρθὸς εσφυδωμένος διὰ μέσου βαδίζειν. iure quæritur, nonne hoc primigenium fuerit et ætate posteriore pompa, quæ initio phallo ducebatur, Baccho ascripta sit, quod is hominum animaliumque fecunditatis et fertilitatis agrorum hortorumque patronus phalli munere fungebatur. phallum enim ob fecunditatem antiquitus colebant Græci ut populi consanguinei — Indi, Itali; Sueci deum Fricconem ingenti priapo fingebant, u. p. 93 ann. — multique alii. Bacchus autem aduena est, quem de aliis gentibus receptum postea in pompam phallicam feriasque, quæ ob fecunditatem agebantur, se insinuasse maxime uerisimile est. postquam Bacchus cum cultu phalli coniunctus est, res ipsa ferebat, ut phallus eius signum esse duceretur; porro est Διόνυσος ὀρθός, cuius cognomen eum phallicum esse significare Boeckh agnouit p. 146, cf Welcker, Nach-

trag p. 208; Διόνυσος φαλλήν Paus X, 19, 3. si phallus olim proprio cultu colebatur, non solum Bacchum, sed alios quoque deos, qui fecunditati præsidebant, hoc signum habuisse et quasi heredes phalli factos esse par est. de Phalete iam dixi, Priapum non moror; de Mercurio pauca afferam, quem deum antiquitus pastores uenerabantur, quorum greges propitius prole augebat et pastum e terra fundens alebat. hermas phallis instructos esse omnes scimus; in monte autem Cyllene phallus Mercurius appellabatur; Paus. VI, 26, 3 τοῦ Ἑρμοῦ δὲ τὸ ἄγαλμα, ὃν οἱ ταύτῃ περισσῶς σέβουσιν. ὀρθόν ἐστιν αἰδοῖον ἐπὶ τοῦ βάθρου. cf. Luc. Iup. trag. 42, Artemid. I, 45. de Mercurio phallico u. Hdt II, 51.

Gilbert p. 95 ollam, de qua Dicæopolis u. 284 tam sollicitus est, ne conteratur, panspermiam continere suspicatus est. si scholiasta ea, quæ schol. ad Ar. Ach. 242 (XXIX) tradit, recte ad Dionysia agrestia refert, in ea pompa uirgines panspermiam gessisse uidentur; suspicionem autem mouet descriptio, quæ feriis magnis et urbanis melius conuenit. sed etiamsi res amplificata est, uera est; Dicæopolidis quidem panspermia mihi dubia est, sed filia in corbe ἀπαρχὰς fert, u. 244 κατάθου τὸ κανοῦν, ὦ θύγατερ, ἵν' ἀπαρξώμεθα. hæ primitiæ frugum — nam animal in scæna mactari non potest — mihi panspermia esse uidentur pro frugibus oblata ut CIA III, 77 = de Prott fast. sacr. 3 l. 12 Μαιμακτηριῶνος Διὶ Γεωργῷ $\bar{\kappa}$ πόπανον χοινικιαῖον ὀρθόνφαλον δωδεκόνφαλον, ναστὸν χοινικιαῖον ἐπιπεπλασμένον. πανκαρπίαν νηφάλιον. hic etiam uidemus initio hiemis deo agriculturæ patrono sacra offerri, nimirum ut e seminibus nuper in terra conditis opima crescat messis. de panspermia inprimis Thargeliorum et Pyanopsiorum eiusque significatione uide porro Mannhardtium Ant. Feld u Waldculte 226 sqq, 248 sqq.

Cum iam certum uideatur Dionysia agrestia ad fecunditatem impetrandam acta esse, de Theoeniis disputare necesse est. nam ea, quæ deo uini celebrata esse ipsum nomen ostendit, eadem ac Dionysia agrestia esse uulgo credunt, eoque hæc quoque uini causa acta esse efficere uolunt. nituntur glossa, quam Suidas et plenius Harpocratio tradunt s. u. Θεοίνιον· Λυκοῦργος ἐν τῇ διαδικασίᾳ Κροκονιδῶν πρὸς Κοιρωνίδας. τὰ κατὰ δήμους Διονύσια Θεοίνια ἐλέγετο. ἐν οἷς οἱ γεννῆται ἐπέθυον· τὸν γὰρ Διόνυσον Θέοινον ἔλεγον. ὡς δηλοῖ Αἰσχύλος καὶ Ἴστρος ἐν α΄ Συναγωγῶν. τὰ κατὰ δήμους dici notandum est, neque equidem ex eo Theoenia eadem esse concludere ausim ac Dionysia agrestia Posideone acta; nam fieri potuit, ut aliæ feriæ Baccho ruri agerentur atque eæ, quas Dionysia agrestia κατ' ἐξοχήν appellamus. quæ de Theoeniis ueteres tradunt, duorum generum sunt; alterum id est, quod ex oratione Lycurgi uel Philini eiusque scholiis petitum est (u. supra), et eius rei ratio habenda est, quod ad certam occasionem certumque locum hæc scripta sunt. et Croconidas et Coeronidas nobiles Eleusinios fuisse, qui officiis sacris cultuque quodam fungebantur, e fragmentis orationis apparet. (de gentibus docte disserit Toepffer, Att. Geneal. 101 sqq.) orator enim de feriis loquitur, in quibus Proserpina emergere credebatur (Harpocr. s. u. Προσχαιρητήρια), et Dinarchus aduersarius de muneribus hierophantæ (idem s. u. ἱεροφάντης), scilicet quod hæc ad alteram uel ambas gentes aliquo modo pertinebant. sic in Theoeniorum quoque sacris alteram uel ambas partem egisse apparet. de uerbis ἐν οἷς οἱ γεννῆται ἐπέθυον in glossis, quas supra attuli, recte nondum iudicatum est. ex. c. Gilbert p. 67 Theoenia in omnibus demis ut Dionysia agrestia celebrata esse efficere uoluit, ut hæc et illa idem festum esse etiam magis confirmaretur, qua in re uocem γεννῆται aptam non esse non considerauit, quæ uox orgeones, maio-

tem partem phratriæ, excludit, ut festum nobilium tantam fiat [1]). Dionysia agrestia a demo toto celebrata esse tituli testantur. ea, quæ commemorantur, a demo aliquo nomen receperunt, et demarchus iis præsidebat. gennetæ autem phratriæ participes erant, quæ longe alia ac demus erat neque eosdem homines continebat (cf. commentatiunculam meam de rep. Ath. a Clisth. constituta p. 7 sq), ut in una phratria ciues duorum demorum essent. uerbis autem expressis lexicographus Theoenia τὰ κατὰ δήμους Διονύσια esse asserit. quamobrem aut hoc aut uox γεννῆται falsa est, quippe quæ consociari non possint. cum oratio, e qua glossa Harpocrationis petita est, non seruetur, quæ in ea fuerint, diuinare cogimur. gennetas Theoeniis sacrificare orator, ut aliquam rem efficeret, commemorauit ut Isæus de Cir. her. 15, qui ex eo, quod Ciron nepotes ad Dionysia agrestia ceteraque sacra, quæ perfecit, secum ducere solebat, eos reapse nepotes eius esse demonstrare uult. Cironem nepotes semper cordi habuisse Isæus exposuit, ut rem eorum defenderet; altius argumenta petiit noster orator sacra afferens, quæ inter se gentes communicabant. de gennetis

[1]) Toepffer Att. Gen. 12 sqq Theoenia sacra orgeonum et Theoenum deum, quem colerent, fuisse putat, quod uox orgeonum propter uim ad cultum Bacchi referenda est. quodsi hæc sacra orgeonum propria fuissent, participes homogalactes esse non oportebat; uidemus autem nobiles has gentes iis præsedisse. Toepffer quidem p. 10 orgeones et homogalactes inter se contrarios non esse haud recte contendit nisus glossa an. Bekkeri I, 227, e qua hoc tantum concludi potest eosdem et gennetas et orgeones uocari. quicquid de hac glossa iudicatur, lex tenenda est a Philochoro apud Suidam et Photium s. u. ὀργεῶνες tradita, e qua apparet homogalactes et orgeones inter se differre. Philochorus uocem obsoletam homogalactum gennetarum uoce interpretatur, quod uerum esse uidetur. in oratione nostra saltem hæc uis est, cum de gentibus nobilibus agatur.

loquens utrum ad gennetas Atticæ totius uniuersos, quod iis, qui Theoenia Dionysia agrestia esse putant, sumere necesse est, an ad gennetas Croconidarum et Coeronidarum spectauit orator? dubium non est, quin gennetæ ii ipsi sint, de quibus in oratione agitur, siue Croconidæ siue Coeronidæ sunt, quos etiam aliis sacris muneribus functos esse ex aliis locis suspicari licet. quæ cum ita sint, uerba τὰ κατὰ δήμους Διονύσια ita explicanda sunt, ut auctor Theoenia non Athenis, sed ruri in demo aliquo acta esse in oratione legerit, quod his uerbis inscitius expressit.

Alterius generis testimonia exilia paucaque sunt; quod autem ab iis, de quibus disserui, non pendent, haud paruum afferunt adiumentum. glossam hanc Hesychius præbet: Θεοίνια· θυσία Διονύσου Ἀθήνησι. καὶ θεὸς Θέοινος Διόνυσος. Athenis idem ualet atque atticus, ut solet[1]). ex eo, quod Theoenia θυσία appellantur, sacrificium, quod perpetrabant Croconidæ uel altera gens, principale fuisse manifestum est. Dionysia agrestia si auctori in animo fuissent, uoce θυσία usus non esset, sed uoce ἑορτή (cf. gl. Διονύσια). templum, cui nomen Theoenium erat, fuisse testantur glossæ an. Bekkeri I 264, Etymol. magn, Phot. Θεοίνιον· ἱερὸν Διονύσου. in hoc templo nimirum Theoenia agebantur; ex quo ea non omnibus in demis acta esse perspicitur, cum fuerit iis templum proprium. adiungit Photius hoc ἀφ᾽ οὗ καὶ γένος. quid id sibi uult? num gens e fano orta (sic Fritzsche Mant. 6) uel appellata erat? huius autem nominis gentem inter omnes, quas Toepffer Att. Gen. collegit, non inuenimus. glossa perspicuitate neglecta in breue redacta est, ut ex ea hoc tantum efficiatur, ut gens quædam cum Theoenio

[1]) Toepffer Att. Gen. 255. Haloa uocat schol. Rohd. ἑορτὴν Ἀθήνησιν, at Harpocr. p. 99 ἑ. ἀττικήν.

templo conexa sit. quare hæc quoque glossa ad Croconidas et Coeronidas, qui sacra in templo Theoeni perficiebant huiusque dei sacerdotes erant, referenda est et sententiam expositam confirmat. [1])

Denique iurisiurandi gerararum apud [Demosthenem] adv. Neær. 78 = p 1371 (LXXXVII) ratio habenda est. quod a glossis, in quibus de Theoeniis agitur, separandum non est, ut uoluerunt Boeckh p. 100 a. 89 et Fritzsche Mant. 3 sqq. ut Toepffer Att. Gen. 105 ann. 3 mihi persuasum habeo lectionem θεσίνια præferendam esse, e qua leui errore ΘΕΟΓΝΙΑ factum est. hoc tamen plerique probant (præter eos, quos attuli, Gilbert p. 161). geraras ex his duobus gentibus oriundas esse necesse fuisse parum uerisimile est, quamquam hunc ritum Anthesteriorum e stirpe gentilicia ortum esse ex eo apparet, quod regina primarias egit partes; potius res sic se habebat, ut hæ gentes Theoeniis præsiderent ut Eumolpidæ mysteriis Eleusiniis, gerarasque, ut munere fungi liceret, in ea initiatas esse oporteret.

Theoenia in honorem Bacchi ruri acta esse uidimus, quamquam ea aliam naturam ac Dionysia agrestia, quæ nos proprie sic dicimus, habere iam nomen indicat; quare in promptu est quærere, num plura Dionysia nobis cognita sint, quæ neque Posideone mense agebantur neque ad fecunditatem spectabant. Dionysia ruri non eodem die aut tempore celebrata esse e loco Platonis de rep. V, 19 (XXX) apparet, quam rem ita se habuisse necesse est, si quidem fabulas demotæ spectare uolebant. nam greges histrionum tales, quales nobis tam præclare Æschinem irridens Demosthenes ante oculos posuit (de cor.

[1]) Lemma glossæ primæ allatæ Harpocrationis et Suidæ, Θεσίνιον esse notandum est, quod ut lapsu calami pro Θεσίνια scriptum sit, fieri potest; sed nescio an in oratione de templo uerba facta sint et lemma ex his errore quodam petitum sit.

262), qui in demorum theatris fabulas peragebant, non sufficiebant, ut omnes demi uno tempore Dionysia celebrarent. ex eo, quod ficus uuas oliuas ex arboribus pependisse, cum Æschines tritagonistæ partes ageret, Demosthenes l. l. dicit, Boeckh p. 136 Dionysia agrestia uindemiæ causa acta esse conclusit. cum hoc fieri non possit, ut uindemiæ festum Posideone actum sit, equidem rem inuertens hæc Dionysia non Posideone mense, sed autumno acta esse dico. erant ergo non Dionysia agrestia proprie sic dicta, sed tum agebantur, cum histriones præsto erant [1]), nisi hæc fortasse uindemialia sunt.

Tandem quærere libet, utrum Dionysia agrestia phallo circumlato Posideone mense, quæ descripta sunt, ut schol. ad Ar. Pac. 874 nisus dicat quispiam, in omnibus demis celebrata sint necne. nam primum nemo negat fieri potuisse, ut aliis locis alia, ut fecunditas pararetur, festa agerentur. talia sunt Haloa, quæ eodem mense Eleusine agebantur, quamquam Dionysia agrestia quoque ibi recepta sunt. hoc efficere perdifficile est; e fastis tamen tetrapolis atticæ Amer. Journ. of Arch. X p. 209 sqq = de Prott fast. sacr. 26 hoc apparere uidetur. in columnæ posterioris initio sacra anniuersaria Marathoniorum per ternos et per singulos menses digesta enumerantur. inuenitur hic sacrum nullum, quod ad Dionysia agrestia referri possit. col. B l. 7 sqq δευτέρας τριμήνο· Ποσιδεώ[νος — — —] βοῦς (num.), οἷς (n.), ἡρώινηι [οἷς (n.), ἱερώσυνα] (n.). Γῆι ἐγ γύαις βοῦς κυο(ῦσ)α (n.), [ἱερώσυνα — —] Τελετῆι σπυδία (n.). sequitur Gamelio etc. quid

[1]) Hoc forsitan modo explicandum sit, quod CIA II, 594 l. 31 sq. extat: ἀνειπεῖν τὸν στέφανον τοῦτον Διονυσίων τῶν ἐν Σαλαμῖνι τραγῳδοῖς, ὅταν πρῶτον γίνηται. an ex eo pendet, quod fabulæ non omni anno actæ sunt, ut Athenis posteriore ætate factum esse scimus (a. 200 a. Chr. n. fere)? cf. Koehler, Ath. Mitth. III 120 ann. 1.

litteræ l. 7 detritæ indicauerint, dubium non est, quod heroinæ hic titulus semper heroem adiungit, cui sacrum largius offertur; nomen solum herois ignoramus. Dionysiis agrestibus ergo Marathonii carebant, si quidem demarchus hic ut in aliis demis iis præsidebat. nam ea sacra, quæ in titulo enumerantur, demarchus procurabat (col B l. 23); ea, quæ de Prott p. 50 desiderat, titulus omisit, quod a sacerdotibus propriis perficiebantur. eodem autem mense Posideone demarchus, ut fecunditatem e se terra funderet, Γῆι ἐγ γύαις uaccam prægnantem sacrificabat. γύης enim terra fertilis et ferax est, quamobrem hæc uox ad aluum matris sæpe transfertur. conferendum est sacrum, quod Myconi die XII. Posideonis Cereri fiebat syll. Dittenb.[1] 373,[2] 615, de Prott fast. sacr. 4 l. 11 sq Δήμητρι Χλόηι ὗες δύο καλλιστεύουσαι. (ῆ) ἑτέρη ἐγκύμων.

Apparet igitur Dionysia agrestia unum de multis ritibus esse, quibus semente autumnali facta a diis fecunditatem Græci impetrabant, qui creberrimus erat, quamquam aliis locis alii agebantur. phallus, qui in pompa circumferebatur, huius rei signum et remedium simplex et natiuum erat.

De Lenæis.

Multo ægrius quam ceterorum Dionysiorum Lenæorum ratio redditur, quod de cærimoniis et ritibus, qui cum iis coniuncti erant, ueteres pæne tacentes de certamine solo Lenaico uerba faciunt. cum testimoniis ueterum careamus, e nomine festi, quid sibi uoluerit, omnes eruere conati sunt. hoc satis manifeste e ληνῷ, prelo, deriuatum esse uidebatur, quam interpretationem iam Diod. Sic. III, 63 proposuit. quare omnes pæne in hanc sententiam abiere temporum rationem uel negligentes uel

spinoso quodam modo explicantes, de quo iam satis dixi (p. 85 sqq.). temporis causa oblocutus est Mommsen Heort. 44 sqq et 339 sqq, Fest. Ath. 376 sq, qui aliam uiam ingressus et Dionysia agrestia et Lenæa ex eadem origine orta tum. cum mustum, etsi non deferbuit nec uinum erat, agrestes bibere inciperent, musti causa acta esse putat ex eo enim tamquam posito atque concesso Mommsen proficiscitur, quod omnia Dionysia uini causa acta sunt; cum nec uindemalia nec noui uini causa celebrata Lenæa sint — hoc festum Choes sunt — nulla restat nisi ea, quam protulit sententiam. quam ut corroboret, nomen ληνός ita interpretari conatur, ut non solum prelum, sed etiam uas quoddam, in quod a prelo fluxit mustum et in quo ferbuit (»Kufe»), significet. quod ei uix contigit et iam Gilbert p. 39 sq. refutauit. nam in glossa anecd. Bekk. 1, p 277 [1]) in hoc uase uinum seruatum esse aut ferbuisse non extat; sed ut uuis pressis explebatur, mustum ex eo in alia uasa fictilia transfundebatur, in quibus postea feruebat. etiam minus sufficit Anth. Pal. XI, 63 [2]). de quo Gilbert l. l. optime dixit: Der Dichter will sagen, er wünsche sich unmittelbar an die Quelle zu legen. ut supra dixi, Gilbert putat Lenæa initio Lenæone mense i. e. Gamelione acta esse, deinde in Anthesterionem translata cum Anthesteriis coniuncta esse, ut olim festum sui iuris fuisset. Lenæorum et Bacchi Lenæi nomen non e ληνῷ significante prelum, sed arcam, in qua mortuus conditur, deriuat contendens Baccho, qui una cum solstitio hiberno moriens in arca conderetur, acta esse Lenæa. nam hoc autumat Bacchum, de quo hic agitur, solis et

[1]) Bekk. I, 277 ληνός· γεωργικὸν σκεῦος· ἔστι δὲ ἀγγεῖον δεκτικὸν οἴνου ξύλινον, ὃ ἀποδέχεται τὸ ῥέον ἐκ τῶν ὀργάνων τῶν πιεζομένων.

[2]) A. P. XI, 63 αὐτὰρ ἐμοὶ κρητὴρ μὲν ἔοι δέπας· ἄγχι δὲ ληνὸς ἀντὶ πίθου.

luminis deum esse, cuius mors solstitium esse crederetur [1]). qua de re multis uerbis opus non est, quoniam nemo nunc Bacchum solis deum esse credit. festum autem, quod deo solstitio morienti agebatur, a tempore anni aptum primum in medium Lenæonem i. e. Gamelionem, quo mense ætate antiquiore Lenæa Athenis acta esse Gilbert quoque putat, deinde in mensem uernalem Anthesterionem translatum et cum Anthesteriis, quibus Bacchum resurgentem uenerari magis par erat, coniunctum esse permirum est et tam spinosum, ut a uerisimili longe absit. quanta constantia et quasi pertinacia in omnibus rebus sacris et in tempore, quo festa deorum agebantur, conseruando uterentur Græci, iam sæpius prædicaui. accedit, quod Gilbert sacra delphica (Plut. de Is. et Os. 35) et orgia, quæ Thyiades in Cithærone Parnasso Taygeto montibus circa brumam Baccho agebant, ut sententiam comprobet, affert. sed deus, qui Lenæis colebatur, idem ac deus delphicus et boeoticus non est; ad Iones et insulas maris Ægæi pertinet. Ionibus eum proprium et communem fuisse nomen mensis Lenæonis comprobat, qui ubique fere inuenitur, ubi sederunt Iones. eadem habeo, quæ contra Ribbeckium afferam, qui in programmate Kiliensi a. 1869 Anf. u. Entw. d. Dionysoscultus in Attika 13 sqq a glossa Hesychii λήναι· βάκχαι· Ἀρκάδες proficiscens uocem λήνη a stirpe λαϝ deriuat (Od. τ 230 ὁ μὲν (κύων) λάε νέβρον ἀπάγχων) et eam uenatricem i. e. baccham, quæ hinnulum prehendit et diuellit, significare putat. é bacchis nomen ad deum ducem translatum esse dicit deumque Lenæum ducem fuisse orgiorum hibernorum, quæ in montibus mediæ Græciæ mulieres

[1]) Bacchum λικνίτην inuria confert; nam λίκνον nimirum uannum significat, ut Ceres Anth. Pal. VI, 98 λικμαία appellatur, mihi quidem hic ritus ad fecunditatem et segetem spectare uidetur.

celebrabant. sed Boeotiam relinquamus et uideamus, quæ uestigia dei Lenæi apud populum eius remaneant; ceteris ex interpretatione nominis proficiscentibus nos a deo ipso initium capiamus, quamquam de eo tam pauca et exilia tradita sunt, ut pæne desperandum esse uideatur. de Prott, qui nuper plura de Lenæis eruere conatus est (Ath. Mitth. XXIII, 222 sqq), comparat fastos myconenses [1]) et titulum eleusinium [2]), quibus collatis effici putat Lenæa et Athenis et Myconi cum cultu deorum inferorum coniuncta esse; quod si uerum est, ea quoque pro frugibus acta sunt. uereor autem, ne sacra non cohæreant, quamquam inter se excipiunt. nam primum fieri potest, ut sacra, quæ epistatæ Cereri Proserpinæ Plutoni fecerunt, multos dies a Lenæis distent, quamquam in rationes simul referuntur; mihi quidem hæc diis Eleusiniis Eleusine oblata esse uidentur, Lenæa autem Athenis celebrabantur. porro necesse non est sacra myconensia ad cultum Lenæi pertinere, quamquam diebus continuis perficiuntur. hoc de Prott antea negauit fast. sacr. 16 a. 3. quæ cum ita sint, Lenæa ad fecunditatem referre dubito, nisi aliqua res noua id confirmabit. miraculum, quod narrat Plinius N. H. II, 231, Lenæis factum esse uerisimile est, (u. p. 41). fontem feriis Bacchi uino fluere mystici aliquid habet, quod de orgiis monet, in quibus flumina uini lactis mellis e terra prorumpere credebantur (Eur. Bacch. 142, 704 sqq, Plato Ion 534 A etc.). mi-

[1]) Syll. Dittenb.[1] 373, [2]615 l. 15 sqq Ληναιῶνος δεκάτηι· ἐπὶ ὠιδῆι ὑπὲρ καρποῦ Δήμητρι ὃν ἐνκύμονα πρωτοτόκον, Κόρηι κάπρον τέλεον, Διὶ Βουλεῖ χοῖρον — — — ἑνδε[κ](ά)τηι· ἐπὶ Τοταπλῆθος Σεμέληι ἐτήσιον· τοῦτο ἐνατεύεται. — δυωδεκάτει Διονύσωι Ληνεῖ ἐτήσιον. — ὑπ(ὲ)[ρ] κα(ρ)πῶν Διὶ Χθωνίωι Γῆι Χθονίηι δερτὰ μέλανα ἐτήσι(α).

[2]) Rationes ἐπιστατῶν Ἐλευσινόθεν CIA II, 834 b II l. 46 ἐπαρχὴ Δήμητρι καὶ Κόρηι καὶ Πλούτωνι Γ. ἐπιστάταις ἐπιλήναια εἰς Διονύσια θῦσαι ΔΔ.

raculum Andrium etiam commemorat Pausanias VI, 26, 2, ubi Elide narrat tres lebetes uino impleri in feriis, quas nomen Θυῖα mysticas esse indicat. in insulis ionicis hoc miraculum haud unicum est; nam Diod. III, 66 Teïos Bacchum apud se natum esse contendisse tradit, quod certis temporibus fons uino flueret, et Seneca Oed. 488 sqq canit nuptiis Ariadnæ Naxi laticem Nyctelium e pumice sicco fluxisse; cf. Steph. Byz. s. u. Νάξος. sacra mystica Lenæone Baccho celebrata esse confirmat porro titulus Bull. XVII, 32 [1]). est sane serioris ætatis — alteri parti II. p. Chr. n. sæculi tribuit editor Hiller de Gærtringen —, sed magna animaduersione dignus. mystæ, quos Bacchi esse l. l. recte conclusit e nomine magistratus ἄππας Διονύσου et mense Lenæone, defuncti societati pecuniam legauerunt, ut »solita» sibi offerrentur, quæ nihil nisi sacra quædam esse possunt. sic Epicteta societatem propinquorum testamento instituit, quam diebus certis sibi, uiro natisque sacra perficere iussit (IGI III 330); Elatensis quidam oppido agrum donauit, ut die constituto sacrum et certamen in suum honorem fierent (IGS III 128); Epicurus reditus quosdam seposuit, quibus sibi parentibus fratribus inferiæ diebus natalibus inferrentur (Diog. Laërt. X 18). quanto melius cura inferiarum collegio sacro mandatur! multo magis notabile est præscriptum, quod eas mense Lenæone inferri iubet, quod non intellegi potest nisi ita, ut mystæ, quia hoc mense orgia celebrabant, eodem mense etiam post mortem manes sacris affici

[1]) Bull. XVII, 32 Ἐπὶ στεφανηφόρου Κλ. Ἀπ. Τατιανῆς Ἐ . . . . Φιλήτου ὁ ἀρχιμύστης σὺν καὶ Ἑρμέρωτ[ι Εὐ]πόρου διεσημειώσαντο πρὸς τὸ τοὺς [μ]ύστας μὴ ἀγνοεῖν τοὺς καταλιπόντας αὐτοῖς εἰς μνήμην χρήματα, ὥστε τῷ Ληνεῶνι μηνὶ τὰ [εἰ]θισμένα αὐτοῖς προσφέρεσθαι ὑπὸ τῶν μυστῶν ἐξ ὧ[ν] κατέλιπον τῷ ἱερῷ οἴκῳ ἐν Κλίδωνι, — μηνύοντες [ὁ]πόσον ἕκαστος αὐτῶν κατέλιπε· Φιλήμων ὁ ἄππας Διονύσου (δηνάρια) ιη΄ κτλ.

uoluerint. Athenis quoque Lenæa ritibus mysticis celebrata esse tradit sch. ad Ar. Ran. 479 (XXXVIII); sed eos certaminibus Lenaicis praue attribuit. quoniam daduchus facem tenebat — quem eundem atque Eleusiniorum esse cautius non dicamus —, ritus nocturnus fuisse uidetur. de Eleusiniis tamen et hoc monet et nomen, quo inuocatur Bacchus, Ἴακχε πλουτοδότα. porro titulus CIA II, 741 a (XVI a) nos docet mysteriorum curatores Lenæa administrauisse, quos Lenæorum proprios neque eosdem fuisse, qui mysteria Eleusinia procurabant, uerisimile est; hoc quoque in Lenæis mystici aliquid fuisse testatur; sed in frg. d (XVI c) eorum locum strategi tenent. si qui ritus alii fuerunt, studio fabularum oblitterati sunt, nisi glossæ quædam (Suidas ἐξ ἁμάξης (XXXIX), sch. ad Ar. Equ. 547 (XL), Suidas τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν σκώμματα (XVIII) hos iocos, quos Choibus solennes fuisse scimus, Lenæis quoque morem ueterem fuisse tradunt; sed locis duobus cum comoedia commixti sunt et tertio breuiter commemorantur, ut non liqueat, quanti glossæ faciendæ sint. utut est, et hi ioci et γεφυρισμοὶ Eleusiniorum acetum natiuum fuisse uidetur, quo perfundebantur feriantes et illustres præter ceteros; in feriis autem, quæ ob fecunditatem agebantur, uerba obscoena de rebus naturalibus fiebant. denique cum duo fragmenta Heracliti 124 Byw. νυκτιπόλοι, μάγοι, βάκχοι, λῆναι, μύσται et 127 (XXVII)[1]) orgia Bacchi Lenæi Ionibus haud ignota fuisse indicent — cetera orgia, quæ ex insulis nouimus, non curo — nescio an statuendum sit Lenæa ionica e sacris mysticis et orgiis nata esse. quod si probatur, cum Ribbeckio quodammodo facimus, quamquam Thyiades boeo-

[1]) Quod Heraclitus h. l. dicit Plutonem et Bacchum eundem esse, cum fastis myconensibus conferre nolo, quod id rationi philosophicæ ascribendum esse uidetur, præsertim cum nomine Ἀΐδης utatur scriptor.

ticas et delphicas non adhibemus, quarum iam dixi ducem alium Bacchum esse ac Lenæum. festi nomen Λήναια et uerbum ληναΐζω ex eadem stirpe prouenisse recte statuit de Prott Ath. Mitth. XXIII, 226; in eo autem hæret, quod uox λῆναι e Peloponneso tantum traditur; cum autem philosophus ionica dialecto scribens et hac uoce et uerbo ληναΐζω utatur et nomen mensis ionici Lenæonis mensem torcularium nullo modo significare possit, dubitandum esse mihi non uidetur, sed Lenæum deum ionicum esse credo, quem λῆναι orgiis celebrabant. quantum mystici Athenienses retinuerint, nescimus, nisi e testimoniis supra allatis constat plane oblitteratum id non esse. postea comoedia, quæ ruri e pompa phallica nata erat, in urbem translata decus præcipuum Lenæorum facta est, ut hæ feriæ ludorum scænicorum propriæ esse uiderentur; etiam posterius tragoediæ quoque additæ sunt (Bethe, Prolegomena p. 25). præterea notum non est, quomodo Lenæa acta sint; de Prott quidem l. l. 223 sqq nomina dierum eruere conatus est, sed quæ protulit, satis incerta sunt. cf. etiam Groh, Studia de Ἀθ. πολ. p. 27 sqq.

De Anthesteriis.

Anthesteria ferias antiquissimas Bacchi Thucydides, auctor grauissimus, uocat, quod quidem iure dixit, quamquam hoc festum e partibus inter se dissimilibus conflatum esse uiri docti iamiam aminaduerterunt (Hiller de Gærtringen in encycl. Paulyi et Wissowæ s. u. Anthesteria I 2372), quæ tempore quoque forsitan differant. nouimus enim Anthesteriis populum κραιπαλόκωμον comissatum esse, sed etiam nouimus hos dies festos nefastos fuisse, quibus mundo patente manes inter uiuos homines circumuolabant. quamobrem ut malum a se auerterent,

his diebus omnibus remediis, quæ a manibus se tueri sibi persuaserant, uulgo usi sunt (Phótius μιαρὰ ἡμέρα (XCI) et ῥάμνος (XCII). cf. Rohde, Psyche ²I, 237 a. 3) ex Hesychio s. u. μιαραὶ ἡμέραι (XCIII) non solum Choum diem [1]) nefastum fuisse constat, sed inprimis scilicet Chytrorum quoque diem, quo sacra inferis præcipue fiebant [2]). de Pithoegiis Eustathius ad Il Ω, 526 (LIX) idem testatur; quem diem quamquam Proclus ad Hes. op. u. 366 (LVII) et qui eum exscripsit, Tzetzes ad l. l. LVIII), inter festa paterna numerant, posteriore tamen

[1]) Choum diem nefastum fuisse ex eo quoque apparet, quod templa eo die clausa erant. (Phanodemus ap. Athen. X, 437 C sq (LXX) Demophontem Oresta aduenientе templa clausisse narrat). his diebus etiam funibus templa circumsæpta esse e Polluce VIII, 141 colligimus. Alciphr II, 3, 11 (CV) ad Chytros spectare uix uidetur.

[2]) Est hæc superstitio antiquitus tradita, quæ, quamquam conuiuium Choum gaudio et uino uinique deo totum deditum erat, in animis populi residens ab origine hoc festum uernale inferorum fuisse indicat. inferias uernales Apolloniis actas esse Anthesterione mense Hegesander tradit apud Ath. VIII p. 334 F stolidam fabulam ætiologicam narrans. in Boeotia Agrionio, qui Elaphebolioni respondet, inferiæ nomen indiderunt. u. Rohde, Psyche² I p. 236 a. 3, qui de hac parte Anthesteriorum luculentissime disserit. autumno die quinto Boëdromionis manibus Genesia Athenis agebantur. aliis quoque locis feriæ manibus et uere et autumno actæ sunt. Romæ inferiæ a. d. XI. Kal. Mart. offerebantur, autumno mundus tres dies patebat, dum manes inter uiuos uersabantur. ueteres Persæ animos colebant tempore Hamaspathmaêdaya dicto a X. ad XX. diem Martii. præterea mirum quantum in hac superstitione cum Græcis conueniunt. u. E. Lehmann Zarathustra 81 sq (Hauniæ 1899). alterum festum uernale Athenienses manibus agebant Diasia die XXIII. Anthesterionis (u. schol. ad Ar. Nub. u 408), quæ Chytris similia erant, alio tamen loco celebrabantur (ἔξω τῆς πόλεως Thuc. I, 126). festa duorum locorum sunt ad eandem rem pertinentia, quæ, quamquam ciuitates coaluerant, conseruata ritu uetere semper agebantur.

ætate tantum commemoratur (Plut. Quæst. symp. III, 7, 1 et VIII, 10, 3 (LV et LVI), neque ad religionem pertinere, sed posteriore ætate additus esse uidetur; neque sacra publica, quantum scimus, eo die perfecta sunt, de priuatis Plutarchus loco priore loquitur (θύσαντας).

De Choibus.

Choum dies multis et sanctis cærimoniis insignitus erat, quarum nuptiæ Bacchi et reginæ, archontis regis uxoris, inprimis notabiles et notæ sunt. de iis non multum addendum, potius demendum est, cum uiris doctis curæ præcipuæ fuerint, qui eas recte statuerunt factas esse, ut fecunditas et fertilitas pararentur. plerique efficere studuerunt, ut ueris nuptiis quam simillimæ essent; quamobrem pompam nuptialem Bacchi et reginæ fingunt (Mommsen Heort. 357, Voigt in lex. Roscheri I, 1073), sed loci allati ad pompam Dionysiis magnis ductam pertinent, quod quamquam iam dudum recte cognitum est (C. Fr. Hermann Lehrb. d. gr. Alt. II² § 59 et nunc Mommsen quoque Fest. Ath. 394), semper oblitterari uidetur; itaque res forsitan breuiter exponenda sit. imago uetus lignea Eleutheris Athenas translata (Paus. I, 38, 8) in antiquiore fano seruabatur, quod sub arce in regione theatri extructum erat; ibidem recentius quoque erat fanum, ubi erat imago dei sedentis, opus Alcamenis (Paus. I, 20, 3). horum fanorum, ubi colebatur deus Eleuthereus Dionysiis magnis, fundamenta inventa sunt; neutrum ad deum Limnæum pertinere constat. quoniam igitur Anthesteria non in his ædibus, sed in Limnæo celebrabantur, pompam, in qua imago dei Eleutherii ferebatur (Paus I, 29, 2), Dionysiis magnis ductam esse sequitur. si cui alio argumento opus est, uide Philostr. uit. soph. II, 1, 5 p. 549, qui de Herode Attico narrat:

ὁπότε δ' ἦκοι Διονύσια καὶ κατίοι ἐς Ἀκαδημίαν (in fanum haud magnum Paus. l. l.) τὸ τοῦ Διονύσου ἕδος, ἐν Κεραμεικῷ ποτίζων ἀστοὺς ὁμοίως καὶ ξένους κατακειμένους ἐπὶ στιβάδων κιττοῦ. Dionysia scilicet magna sunt; nisi ita esset, hæc uox non sola sufficeret. de iis locum accepit Wide Ath. Mitth. XIX, 273 a. 1 [1]).

In ceteris quoque rebus hæ nuptiæ ueris non tam similes sunt, quam uulgo dicunt; potius naturale quiddam et obscoenum in iis fuisse uidetur. Aristoteles πολ. Ἀθ. 3,5 (LXXXVI) de iis uerba faciens uoce σύμμειξις utitur quæ sine ambagibus rem significat, etiamsi quis tueri uelit uerba languida in fine addita καὶ ὁ γάμος. hæc uox ætatis uerecundioris et elegantioris est. reginæ adiectæ erant quattuordecim geraræ, quæ sacris perfungebantur cum iis conexis, quæ regina faciebat, eique iusiurandum dabant [2]). munera earum cærimoniis nuptialibus

[1]) Philostratum imaginem ἕδος, signum dei sedentis, appellare animaduertendum est. Mommsen Heort. 353 a. 1 uocem, qua utitur Paus I, 29, 2, ἄγαλμα signum chryselephantinum aptius quam uilem imaginem ligneam significare iure dixit, ut horum scriptorum temporibus opus Alcamenis in fanum Academiæ deductum esse uideatur; quod nunc negat Fest. Ath. 392 a. 3. ea tamen ætate machinæ, quibus id signum ferri posset, certo fabricari poterant. antequam Alcamenes opus fecit et templum recentius extructum est, quod ante finem sæculi quinti ædificatum non esse censet Doerpfeld (de theatro græco 21 sq), ξόανον ductum est, postea autem signum chryselephantinum, ut splendor feriarum maior esset. ex ambobus locis apparet pompam in Academiam deduci, non ex Academia induci, ut et Mommsen et Voigt putant. ad pompam in urbem inductam spectant aliquot tituli ephebici ex. c. CIA II 471 l. 12 εἰσήγαγον δὲ [κ]αὶ τὸν Διόνυσον ἀπὸ τῆς ἐσχάρας εἰς τὸ θέατρον μετὰ φωτός.

[2]) Quattuordecim aras extructas esse, in quibus geraræ Baccho sacrificabant, tradit Et. magn. s. u. γεραίραι (LXXXIX), quod Chytris factum esse coniectura incertissima ἔδρυσιν in Alciphr. ep. II, 3, 11 (CV) demonstratum esse Mommseno non concedo (Heort. 367, Fest. Ath. 399). nam ritus Choum hoc die

nec similia erant neque cum iis componenda sunt. et gerararum et reginæ sacra ἀπόρρητα erant (Pollux VIII 108 (XC), [Dem.] in Neær. 73 (LXXXVII), et l. l. Pollux narrat etiam μετ' ἄλλης θεωρίας sacrificatum esse. cuius generis et hæc θεωρία et ἀπόρρητα illa fuerint, intellegimus, si ea ἀπόρρητα conferimus, quæ describit scholium Lucianeum a Rohdio editum (p. 94 sqq). quamobrem uerisimile uidetur inter has res mysticas phallos (Gerhard Abh. d. Ak. d. Wiss. zu Berlin 1858, 158) aliasque res fuisse, quæ ad fecunditatem spectant; quin ipsum Bacchum Limnæum phallo instructum esse usque a Welckero Nachtrag etc. 189 a. 20 multi putauerunt. itaque his ritibus fecunditas euocari uidetur ut Thesmophoriis, et hæc similitudo eo magis commendatur, quod eæ sunt feriæ autumnales, Anthesteria uernales inferis actæ. nomina numinum, quæ colebantur, alia esse non ita multum interest. eam naturam harum cærimoniarum, quam his coniecturis eruere conati sumus, certam reddunt nuptiæ uel potius coitus dei et reginæ. qui mos ex eadem opinione et origine ortus est ac nuptiæ pentecostes uel Maii, quæ uocantur, quas rustici etiam nostris temporibus celebrauerunt [1]). de iis copiosius disserere longum neque

fieri debent; comissationis ratio propria est, u. infra p. 124 sq. — geraras matronas fuisse consentaneum est; nomen feminas uenerabiles significat (cf de Wilamowitz Ar. et Ath. II 41 a. 12).

[1]) Unum exemplum e Scania afferre uolo, quod in eo nescio an aliquid naturale remanserit, quod refert Eva Wigström, Lunds Dagblad $^{8}/_{6}$, 1899 et deinde me rogante per litteras humanissime amplius enarrauit. initio sæculi nostri in regione dicta Rönnebergs härad iuuenes Kal. Mai. nocte (uel primo mane) carmen quoddam ante uillas canebant, ut stipes ad nuptias pentecostes iis promitterentur. mercede conducti uir feminaque, qui ob moris licentiam sordidorum erant, maritos agebant. primum pompa sollenni stipes collegerunt, deinde nuptiis simulatis celebratis conuiuis et fidicinibus comitantibus carmine in lectum conducebantur (»sjöngos i säng»). hoc mihi uix uidetur licentiæ turpi

opus est, cum uiri grauissimi ei rei operam nauauerint: W. Mannhardt, Baumkultus 423 sqq, Ant. Feld und Waldkulte 273 sqq, ubi nuptias Adonidis et Veneris huius generis esse demonstrat; J. G. Frazer, The golden bough I, 102 sqq, qui nuptiis Bacchi et reginæ hanc naturam uindicat. idem etiam luculentissime exposuit, qui his moribus inesset sensus; nam gentes ferae ritibus ei, quam expetunt, rei assimilatis hanc rem euocare solent; ex. c. aquam spargunt ut pluuias eliciant; sic quoque fecunditatem et fertilitatem parare conati sunt magica procreatione et coitu, quem mos uerecundior in nuptias fictas mutauit. his igitur bonis urbem afficiebat regina, quæ sacra sua faciebat ὑπὲρ τῆς πόλεως, ut dicit orator in Neær. 73. eodem sensu agricolæ Dionysiis agrestibus phallum, signum genitale, per agros ferebant, et Lauinii phallo coronam imponebat matrona (p. 93); ritui Atheniensi simillimus, quamquam tantum ob liberos procreandos neque in feriis sollennibus fiebat, mos est italicus, quem referunt patres ecclesiæ. Tutunus enim deus erat, *cuius immanibus pudendis,* inquit Arnobius adv. nat IV. 7, *horrentique fascino uestras inequitare matronas* (i. e. *nouas nuptas, nubentes,* ut ceteri dicunt, quos affert Preller-Jordan II, 218 a. 2) *et auspicabile ducitis et optatis:* erat nimirum auspicium et remedium, ut «matrimonium iustum *liberorum procreandorum* causa» fieret. eiusdem generis sunt porro mores miri gentium quarundam orientalium, apud quas feminæ religionis causa certis temporibus alienis uiris se subdebant, ut de Babylone tradit Herodotus I, 199, de Cypro Iustinus XVIII, 5. hic quoque coitus,

---

serioris ætatis ascribendum esse, præsertim cum carmen adsit, sed ab origine ob eandem causam ac nuptiæ Athenienses factum esse.

quamquam dei partes aduena quilibet agit, ad fecunditatem uniuersam spectat ut nuptiæ Anthesteriorum [1]).

Postquam innotuit πολ ᾽Αθ. 3,5 (LXXXVI), de loco, ubi nupserit regina deo, ualde uariant sententiæ; quod quin in templo Limnæo fieret, nemo dubitauit, antequam Aristotelem Bucoleum, quod prope prytaneum situm esset, locum nuptiarum esse dicere notum est. ut cum hoc uetus opinio consociaretur, Curtius Arch. Anz. 1891, 69 et Maass De Lenæo etc. ind. lect. Gryph. 1891 (cf. Hermen XXVI 184 a. 1) Bucoleum in Limnis quæsiuerunt, quod fieri non posse Judeich Mus. Rhen. XLVII, 56 et Wachsmuth enc. Paulyi et Wissowæ s u. recte animaduerterunt. ille ne hac quidem coniectura opinioni ueteri satisfieri notauit, cum nihilo minus nuptiæ alio loco atque in templo celebrarentur. sic se res habet: Dionysia antiquiora in Limnis agebantur (Thuc. II 15); ibidem fiebant ritus Choum, quos commemorat Athenæus XI 465 A. X 437 C (LXXIV, LXX). geraræ iusiurandum ad aram templi Limnæi dabant (in Neær. 78 (LXXXVII), nam hæc eadem est, quæ ibid. 76 in Limnis esse dicitur) ibique sacra perficiebant; coitus contra in Bucoleo fiebat. compotatio cum officiis reginæ minus cohærere uidetur; artissime autem cum iis coniuncta sunt sacra gerararum, nec discrimen inter munera reginæ statui potest. quæ cum ita sint, sacra cetera in Limnæo, coitum autem in Bucoleo factum esse apparet, quod tantam admirationem mouere non oportet, cum in aliis quoque feriis sacra uariis locis

[1]) Quid de sacris nuptiis Iouis et Iunonis (p 31 a. 1) iudicandum sit, non liquet, cum tam pauca de iis cognita habeamus. cf. tamen Frazer, The golden bough, I, 103. ratio fabulæ Santræ, quæ nuptiæ Bacchi forsitan inscripta sit (sic Ribbeck frg. scæn. p. rom.[3] p. 264 e codice Urb. 307 Nonii 78, 28; ceteri h. l. et omnes 104, 17 *Nuntiis Bacchi*) plane obscura est, sed rem nostram eam non tetigisse credo.

facta sint, ut ex. c. Dionysiis magnis. nomen Bucolei ad Bacchum spectare putans de Wilamowitz Ar. et Ath. II, 42 ad cognomen θεοῦ ταύρου i. e. Bacchi, qui taurino pede ut ueniret, Eleides precabantur, iure retulit. hoc cognomen quoniam ad Bacchum fecunditatis datorem spectat (Frazer The golden bough I, 325 sq, Voigt in lexico Roscheri I, 1057), optime ad eos ritus, quibus regina ciuitati fecunditatem comparabat, nomen Bucolei quadrat. quidam sacerdotes quoque, quibus nomen βουκόλοι erat, ad Bucoleum referunt, quamquam de iis parum constat (Dieterich de hymn. orph. 11, Maass Hermes XXVI, 184 a. 1). reicienda est explicatio, quam Maass de Lenæo p. 6 sqq proposuit locum hoc accepisse nomen, quippe ubi Icarius cultum Bacchi propagans a bubulcis necatus esset; quæ fabula ætiologica est eiusdem generis, cuius ueteres nobis tot tradiderunt. si ita esset, Icarium suum nomen loco indidisse expectandum erat.

Aristophanes, qui in Acharnensibus gaudia Dionysiorum Atheniensibus ante oculos ponit, his seueris ritibus omissis alteram solam partem Choum fingit, conuiuium, ex quo nomen festum traxit. in his non de diis inferis, sed de eo, qui uinum gaudiumque cum uino et luxuriam hominibus dedit, agitur [1]). hoc in festo nouum uinum, quod iam potari potest (Plut quæst. symp. III, 7, 1 et VIII, 10, 3 (LV, LVI), ritu sacro consecratur, ut hominibus salutare bonumque sit, quo facto gaudia uini feri-

[1]) Dubium non est, quin scholiasta ad Ar. Ach. u. 961 (XCIV) falsus sit, qui cum uoce Χόες χοαὶ commiscet. ut hæc corroboretur explicatio, nomen ultimo diei Eleusiniorum inditum πλημοχόαι (Athen XI, p 496 A, Hesych. s. u.) afferri nequit. obstant ratio et natura uniuersa festi. hoc non in libando, sed in potando constare e nomine apparet, quod Themistocles Magnesiæ Choes instituens patrono feriarum indidit (LXXV); Χοοπότης enim deus appellabatur, cuius exemplum homines χοοπόται sibi ad imitandum proponebant.

antes prælibant. quamobrem libamenta primum et ultimum Baccho dantur. a quo ritu initium compotationis captum sit, Phanodemus tradit apud Athen. XI p. 464 F sq (LXXIV). hæc de Choibus dici iam agnitum est et ex eo apparet, quod in templo Limnæo uino mixto cum aqua prima libatio Baccho Limnæo effunditur, priusquam ipsi uinum gustant. conatur Phanodemus cognomen Limnæi dei eo explicare, quod homines uinum aqua (λίμνῃ) mixtum potare docuit, et ut explicet, quid sibi uelit Limnæi nomen, apte cærimoniam in dei Limnæi honorem actam affert. totum conuiuium tutelæ dei eo commendabatur, quod poculum ultimum et coronas, quibus redimiti potauerant, ei consecrabant feriantes. nam apud Athen. X, 437 D (LXX) conuiuas idem narrat coronas poculis circumdatas mulieri, quæ dei Limnæi sacerdos erat, tradidisse, quo facto τὰ ἐπίλοιπα in templo eos sacrificasse. ex hoc uerbo eos, quod uini supererat, Baccho libauisse Mommsen Heort. 365, Fest. Ath. 396 probabiliter conclusit. etiamsi de aliis sacris accipitur, sententia mea non imminuitur; nam «cetera» (τὰ ἐπίλοιπα), cum de conuiuio Choum uerba sint, cetera sacra, quæ ad hoc pertinebant, significare necesse est, ut hoc quoque probato ritu sacro quodam conuiuium finitum esse appareat. ad hanc comissationem cantilena Aristoph. Ran. u. 211 sqq. (CIV) refertur, in qua Chytris sacris populus uinosus (κραιπαλόκωμος) in templum Bacchi (Limnæi, quod colligitur ex. u. 211) uenire dicitur, quod heortologis magnæ molestiæ fuit. clarum enim testimonium Didymi, quod in schol. ad Ar. Ach. 1076 (CI) et apud Suidam s. u. Χύτροι in glossa prima (CII) pæne iisdem uerbis legitur, auctoris haud spernendi, qui eodem die Choes et Chytros agi asserit, a ceteris abhorret, qui unanimi Choes die XII. et Chytros XIII. Anthesterionis actos esse tradunt. ante Gilbertum omnes sine mora Didymo fidem abroga-

bant. is, qui Choes et Chytros cærimonias tantum festi, non dies festos fuisse efficere studuit, rem ita explicauit, ut temporibus antiquioribus eos eodem die, posterioribus autem duobus peractos esse diceret. ut hanc comprobaret sententiam, fabulam Acharnensium quoque adhibuit. quod poëta l. l. u. 1076 dixit ὑπὸ τοὺς Χόας καὶ Χύτρους sic accipere non necesse est. his duobus nominibus totum festum designauit, quod posteriores Anthesteria uocabant. maioris momenti est locus Ranarum, quem adhibui. templum Limnæum die Choum solo patuisse orator in Neæram testatur; ea tamen re quæstio profligari nequit, quod fieri potest, ut populus ante fanum constiterit. ranæ cantant κατ' ἐμὸν τέμενος, et ἐν τῷ ἱερῷ Athen. X, p 437 C (LXX) sic accipi potest. quodsi comissationem quærimus, in qua populus tam proteruus uinosusque fuerit, die Chytrorum nullam inuenimus, neque hic dies ei opportunus est; etiamsi posteriore ætate non totus lugubribus ritibus plenus erat, ratio ac natura sacrorum plane ab hoc gaudio lasciuo abhorrent, quod feriis madentibus diei prioris optime consentit. tum, cum populus, qui in compotatione Baccho largiter indulserat, coronas congiosque dei in templum ferret, κραιπαλόκωμος erat et hæc iure comissatio dici potest; quare quin ad hanc cantilena ranarum referatur, dubitandum non est. consentit cum hoc Didymus, a quo eodem die Choes et Chytros agi audimus. leuis est explicatio, quam Voigt Mommsenum Heort. 346, 364 sq, Fest. Ath. 385 secutus in lexico Roscheri I 1072 exposuit; melius et uere quidem rem percepit Hiller de Gærtringen in encycl. Paulyi et Wissowæ I 2372 (s. u. Anthesteria) et ante eum Mittelhaus, de Baccho Attico diss. Vratisl. 1874 p. 27. a sole enim occidente diem nouum incipiebant Græci; itaque quem uesperum nos et Didymus diei Choum attribuimus, Græci diei sequenti Chytrorum addebant, ut suo iure

Didymus diei rationem ut nos ducens Choes Chytrosque uno die peragi dicere posset. compotatio Choum ante solem occidentem non finiebatur, ut re uera comissatores die Chytrorum in templum Limnæum uenirent. forsitan quædam sacra Chytrorum illo uespere peracta sint, cum hoc diei tempus cum more ueterum optime consentiat, qui manibus et heroibus post solis occasum sacrificare solebant. scholiasta cod. G ad Ar. Ran. 218 (CIII) ἡμέρᾳ δὲ τὰς χύτρας ἐκείνας ἦσαν ἑψοῦντες καὶ οὐ νυκτί non obstat, quoniam is scholium cod. Rav. suo periculo interpretatus est (u. infra p 132 sq). hoc solum scrupulum mihi inicit, quod ritus Choum Chytris sacris perfici dicitur; sic factum est, quod conuiuium producere homines amant.

Pompam, qualem Choibus ductam esse uulgo fingunt, re uera e Dionysiis magnis iniuria huc translatam esse supra demonstraui; sed nescio an uestigia quamquam rara et exilia remanserint, quibus pompam Anthesteriorum propriam agnoscere liceat; quem autem locum inter ritus sacros tenuerit, non liquet, nisi nuptialis non erat et die Choum ducebatur, qui Bacchi erat sacer. extant duo uasa fictilia nigris figuris in Attica fabricata, in quibus currus naualis, in quo sedet Bacchus manu ramum uitis uuas ferentem tenens, depictus est. scyphi sunt, quorum alter in Museo «ciuico» Bononiensi asseruatur. cuius partem, currum ipsum, Mus. Rhen. XLIII 355 depingendam Duemmler curauit, ubi etiam de ratione eius disserit. hæc fere descriptio eius est. duo satyri hirsuti ante currum eunt, quem trahere uidentur; ante hos duo satyri, qui taurum ducunt; post currum puer it, qui in eo est, ut uelum dependens prehendat; quem sequuntur quattuor mulieres, quarum ultima mensam, in qua libum pyramidatum est, capite fert. in constrato currus naualis Bacchus barbatus sedet manu palmitem magnum uuas ferentem tenens; utrimque satyrus (?) tibiis canit. uas

publici iuris fecit ex parte Brizio (Museo italiano di antichità classica II, tav. I, 4.). huic persimilis scyphus alter in Museo britannico asseruatus (Cat B, 278) compluribus locis repræsentatus est, ex. c. Inghirami Vasi fittili I, 33, mon. Baumeisteri tab. XC fig. 2321. hic currus naualis currui magis similis est quam alter; nam rostrum et puppis ad currum tantum affixa sunt. Bacchus eodem modo depictus est; duos, qui tibiis canentes adstant, silenos barbatos esse apparet. Nauem rotis impositam nemo depingit, nisi uidit. iure igitur dicit Duemmler l. l. de scypho Bononiensi «dass er die Epiphanie des Gottes schildert, nicht wie man sie sich dachte, sondern wie man sie darstellte»; quod etiam maiore iure de altera imagine dici potest, cum in ea currus naualis eo modo depictus sit, quo nauem comparatam esse credere possis, si Græci eam, quantum poterant, in terra firma repræsentare conati sunt. quod sileni tibiis canunt, aut comites sollennes dei pro hominibus depicti sunt, aut ii, qui pompæ intererant, personas silenorum induebant, quod uerisimilius uidetur. hæc uasa, quæ nigris figuris sunt, Baccho pompam, in qua currus naualis uehebatur, Athenis satis antiquis temporibus ductam esse testantur. talem pompam Smyrnæi egerunt[1]), quam antiquitus traditam esse ex eo apparet, quod de ea uersibus dictum erat et narratio ætiologica iam pridem uulgata erat, ut Aristides tradit, quæ fortasse ex eo carmine petita erat.

[1]) Philostr. uit soph. I, 25, 1 πέμπεται γάρ τις μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι μεταρσία τριήρης ἐς ἀγοράν, ἣν ὁ τοῦ Διονύσου ἱερεύς, οἷον κυβερνήτης, εὐθύνει πείσματα ἐκ θαλάττης λύουσαν. Aristides I p. 373 Dind. καλοῦσι γάρ σε ἥρος ὥρᾳ πρώτῃ Διονυσίοις, τριήρης ἱερὰ τῷ Διονύσῳ φέρεται κύκλῳ δι' ἀγορᾶς. p. 440 καὶ τριήρης τις ἦν δεικνυμένη μὲν Διονυσίοις, ὑμνουμένη δ' ἐν τοῖς Κατάπλοις, σύμβολον νίκης παλαιᾶς, ἣν ἐνίκων Σμυρναῖοι βακχεύοντες Χίους ὅπλοις καὶ ναυσὶ πεφραγμένους.

quoniam hæc triremis Anthesterione Dionysiis per uias uehebatur, ferias eas, quæ antiquissima Dionysia Ionum erant, i. e. Anthesteria fuisse apparet [1]).

Pompa smyrnæa cum atheniensi comparata, ut definiretur, in quibus feriis hæc ageretur, sequitur, ut deo Ionum communi, qui rem aliquam cum mari haberet, ducta sit. Διόνυσον πελάγιον apud Græcos fuisse Maass ostendit Herm. XXIII, 70 sqq, ubi in thracicis thessalicis boeoticis oris hunc deum cultum esse exemplis demonstrat, quibus hymnum hom. VII. et cylicem Execiæ adiungit; Parerg. att. (ind. lect. hib. Gryph. 1889) p. X nomine Pegasi, quem Pausanias I 2, 4 Dionysum Eleuthereum Athenas introduxisse narrat, in Pagasum secundum Paus. X 5, 5 mutato deum Pagasis ex oppido thessalico usque in Atticam penetrauisse efficere uult; quæ causa sane levis coniectura nititur, et si probatur, pompa naualis ad ferias Eleutherei, Dionysia magna, pertinere debet; sed Eleuthereum marinum fuisse deum præterea non scimus et, si e Boeotia uenit, terrestri itinere eum usum esse uerisimile est. melius deus, cui pompa naualis agitur, apud populos consanguineos quæritur, quibuscum per mare commercium erat. Maass l. l. duos Bacchos iniuria composuit, quorum alter, ut effecit, Thessaliæ et Boeotiæ indigena, alter ionicus est; ille numina maris subigit et in mare confugit, hic per mare uehitur uinum dans et propagans. hunc deum Hermippus cocles, poëta

[1]) Cum triremi panathenaica nauem Bacchi conferre non licet; nam illa deam non uehebat, et præterea posterioris ætatis esse uidetur, quamquam Mommseno Fest. Ath. 116 non credo, qui Athenienses putat nauigium Isidis imitatos esse. nam in hoc festo nauis non per terram uehebatur, sed e littore in mare emittebatur (Apul. Met. XI 8 sqq; cf. nomen festi πλοιαφεσία); potius pompa Bacchi exemplum fuit.

comoediæ ueteris, uersibus celebrat apud Athen I, 27 E, quos Kaibel adhibuit [1]), in quibus cum alia tum escas et res deliciosas enumerat; uidemus igitur Athenienses Bacchum per mare eas naui aduexisse sibi finxisse. in eius honorem porro hymnus hom. VII. compositus est, qui deum piratas tyrrhenos in delphinos mutauisse narrat; nam in Attica scriptus est, et Apollodorus III, 5, 3 hoc inter Icariam et Naxum euenisse tradit. hunc deum per mare uehi in duobus uasis atticis uidemus. altera est cylix illa Execiæ, quæ Monachii asseruatur (Gerhard, Auserl. Vasenb. I. 4, 9 etc.), ubi Bacchus barbatus solus in naue cubat cornu tenens; uitis cum uuis permagnis, quæ uelo impendent, circa malum serpit; mare delphini indicant. alterum Tarquiniis apud Braschium est, quod Loeschke in Parergis Maassii sic fere describit: amphora magna figuris nigris, quæ sæculo VII. exeunte in Attica facta est. utroque in latere eadem paulum immutata picta sunt. magna in naue duobus ordinibus remorum, capite animalis, rostro instructa Bacchus barbatus cubat manu cantharum et palmitem tenens, qui uuas fert. in naue satyri et mænades, quorum satyrus lyra, mænas tibiis canit; satyri remigant. hæc imago iis, ubi deus in curru nauali insidet, persimilis est. uitis et uuæ et comites sollennes ostendunt hunc deum non marinum, sed uini datorem esse, quem per mare nauigantem bona sua hominibus attulisse Athenienses credebant [2]). itaque cum fabula

[1]) frg 243 K.

Ἕσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
ἐξ οὗ ναυκληρεῖ Διόνυσος ἐπ' οἴνοπα πόντον,
ὅσσ' ἀγάθ' ἀνθρώποις δεῦρ' ἤγαγε νηὶ μελαίνῃ κτλ.

[2]) Apud gentes uarias fabulæ inueniuntur, quæ narrant deum cultum mitiorem et agriculturam secum ferentem per mare uenisse; sic Saturnus in Latium naue aduectus agriculturam docuisse fertur. etiamsi aurea ætas rege Saturno ad exemplum Croni ficta est, ab hoc commercium cum mari ille non

de piratis ad insulas maris Ægæi referatur et hæc omnia ad commercium maritimum spectent, hunc deum ionicum esse puto.

Duo Bacchi Ionibus communes erant: Lenæus, cui Athenis Lenæa agebantur et Lenæo mensis ionicus nomen debet, et deus Anthesteriorum, cui Athenienses nouum uinum consecrabant, Athenis a loco Limnæus, Magnesiæ a Themistocle Choopota appellatus. quæ cum ita sint et pompa deo curru nauali per uias uecto satis unica sit, non dubito, quin et Smyrnæ et Athenis hæc pompa ex eadem opinione orta et iisdem feriis, Anthesteriis, ducta sit. præterea hoc festum, in quo noui uini primitiæ deo offerebantur, maxime aptum est, in quo pompa naualis deo uini datori acta sit. accedit quod pompam, in qua currus uehebantur, quamquam naualis fuisse non dicitur, Choibus Athenis ductam esse Suidas Photius Apostolius tradunt s. u. τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν σκώμματα (XVIII). hos iocos in pompa sollenni dictos esse apparet ex glossa Harpocrationis [1]). ad quas ferias hi ioci præcipue pertineant, minus liquet, cum et Lenæis et Choibus nominatim et Dionysiis sine ullo discrimine ascribantur. sed Choibus certo antiquissimi erant; nam, ut supra uidimus

mutuatus est. idem fere de nostra terra narratur. nam carmen Beowulfi tradit Scyld Scefing (Skjold, filium mergitis, alii Sceaf, mergitem) admodum puerum in scapha dormientem capite in mergite iacente ad oram Scaniæ insulæ uenisse et ab hominibus receptum mergitis nomine euocatum postmodo regem factum esse. hoc satis consentaneum uidetur populum, qui ad mare habitat et per mare commercium habet, sibi fingere fructus et mores mitiores per mare aduectos esse, si eos aliunde uenisse credit. quare mirum non est tales fabulas uariis locis sponte ortas esse.

[1]) Harp. Πομπείας καὶ πομπεύειν: ἀντὶ τοῦ λοιδορίας καὶ λοιδορεῖν — — μεταφέρει δὲ ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς Διονυσιακαῖς πομπαῖς ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν λοιδορουμένων ἀλλήλοις.

(p. 114), ex iis, qui Lenæis iocos e curribus dictos esse tradunt, Suidas l. l. eos e Choibus posterius petitos esse dicit, ceteri eos cum comoedia commiscent; nihil afferunt, qui dicunt Dionysia, quæ sint, non indicantes. hi ioci comitibus proteruis dei aptissimi erant, præsertim si silenorum partes agebant. quamobrem si hæc omnia conferuntur, ex iis concludi potest quondam currum naualem Bacchi per uias athenienses Choibus ductum esse [1]).

Ad postremum uerisimile est certamina quædam Choibus habita esse, de quibus u. p. 64.

De Chytris.

Choibus uidimus sacra duorum generum celebrari Bacchumque duplice munere fungi; nam et fecunditatem fertilitatemque in tempus sequens ab eo precabantur, et ei, qui nouum uinum dederat, primitiis oblatis ob donum gratias agebant feriantes. Chytri, quo die inferiæ manibus et diis inferis inferebantur, quodammodo cum illis

[1]) Duemmlero Mus. Rhen. XLIII 356 præcedente Bethe Prolegom. 44 sq imagines uasorum, quibuscum plaustra Thespidis confert, adhibet, ut originem tragoediæ eruat. putat enim actorem primum deum ipsum fuisse et hanc pompam esse, qua in orchestram deducta deus egit et chorus saltauit. equidem has imagines pompam Choum, cum ludi non agebantur, referre puto; Bethio autem, qui tragoediam in feriis Eleutherii (et comoediam Lenæis) extitisse censere uidetur, eas pompam Eleutherii repræsentare sumendum est. hoc autem minus uerisimile esse iam dixi (p. 127). hæc porro pompa Eleutherii, quæ qualis fuerit, scimus, neque cum uasis neque cum sententia Bethii conuenit; ξόανον enim dei ducebatur et in theatrum inferebatur (p. 118 ann. 1, cf. A. Müller Bühnenaltert. 367 a. 1). etiam magis res implicabitur, si diiudicandum erit, quam uetera Dionysia magna sint. attamen mihi expositio Bethii maxime arridet; Lenæis quoque currus in pompa dei uehebantur, et plaustra Thespidis rure uenerunt.

sacris Choum cohærent, cum deos inferos et fecunditatem dare et in manes dominare ueteres crediderint (cf. p. 119, Rohde Psyche ² I 204 sqq.). Anthesteria manibus sacra esse bene enarrauit Rohde l. l. 237 sqq.

Antequam de ritibus Chytrorum iudicamus, testimonia inspicienda sunt, quæ pæne omnia auctoritate Theopompi nituntur; ceteri enim nihil noui addunt (Didymus in scholii ad Ar. Ach. 1076 prima parte (CI) et apud Suidam s. u. Χύτροι in prima glossa (CII), nisi quo die acti sint (Philochorus apud Harpocrationem (XCIX) et in scholio ad Ar. Ach. u. 1076 (CI ann.) et apud Suidam s. u. Χύτροι in glossa altera (XCVIII). Theopompus auctor nominatur in scholii ad Aristoph. Ach. u. 1076 altera parte (CI), in glossa Suidæ prima Χύτροι (CII), in scholio ad Ar. Ran. u. 218 cod. Rav (C) et cod. Ven. Marc. 475 (G, (CIII), apud Duebnerum in ann. p. 518), quo præter cetera Mommsen nititur Heort. 366, Fest. Ath. 398. glossam Suidæ primam eandem esse ac scholium ad Ar. Ach. ad u. 1076 Rav. in peius immutatum statim apparet. ordo, quem ceteri libri inuerterunt, idem est; ad uerbum pæne conspirant in uitiis quoque. in ambobus extat θύειν τοῖς Χουσίν, quod uitiosum est, quoniam sacra, de quibus agitur, Chytris perficiebantur, et nouissimus editor scholiorum codicis Rav., Rutherford, scholio ad Ar. Ran. u. 218 (C) collato in θύειν ⟨αὐ⟩τοῖς ⟨ἔθος ἔ⟩χουσιν suppleuit, e quo omissione ortum est. nam ut hoc ex illo addendo ortum sit, fieri non potest. deinde homo quidam stultus, qui Anthesteria Baccho acta esse forte sciebat, Bacchum intulit in primam partem scholii Ar. Ach. 1076 uel in fontem eius. nam Suidas Χύτροι prima glossa eandem interpolationem exhibet. hoc testimonio Theopompi in scholio ad Ar. Ran. u. 218 contrarium est (θύειν αὐτοῖς ἔθος ἔχουσι τῶν μὲν Ὀλυμπίων θεῶν οὐδενὶ τὸ παράπαν, Ἑρμῆ δὲ χθονίῳ), et hoc se recte non habere

ipsa uerba ostendunt θύουσι μόνῳ τῷ Διονύσῳ καὶ Ἑρμῇ, quæ contradictionem in adiecto, quæ uocatur, præbent. hoc Suidas aminaduertens medelam, qua uerum plane oblitteratum est, adhibens μόνῳ τῷ eiecit et tantum Διονύσῳ καὶ Ἑρμῇ scripsit. recte locum constituit Rutherford ἔθυον μόνῳ τῷ Ἑρμῇ. ex hoc scholio ad Ar. Ran. u. 218 scholii ad Ach. u. 1076 et glossæ primæ Suidæ alteras partes in breuius redactas esse amplius ostendere opus non est. in scholio ad Ar. Ran. 218 Rutherford duas lacunas signauit. quarum in priore homines e diluuie ereptos panspermiam coxisse narratum est, ut glossæ breuiores indicant. in posteriore numerus diei excidit. scholium ad eundem uersum cod. G. (CIII), quod res uerbosissime exponit, paraphrasis expleta scholii cod. Rav. est. quæ in priore lacuna amissa sunt, breuiter suppleuit scriptor; artem hominis indocti uerba τὰ ἐμβληθέντα produnt, quibus pro πανσπερμία, quæ uox abesse non potest (cf. alias glossas), se uti posse credidit. uerba continuatione rerum diuulsa satis obscura interpretando clariora reddere studuit. in enuntiato καὶ τὴν ἡμέραν — — χύτρους ea, quæ in lacuna alterius scholii ad hoc enuntiatum intellegendum necessaria amissa sunt, addidit; uerba obscura θύειν αὐτοῖς ἔθος ἔχουσιν eiecit; enuntiatum ἣν ἑψοῦσι πάντες οἱ κατὰ τὴν πόλιν putidiore circumscripsit; τῆς certo delendum non est, ut Mommsen Heort. p. 366 a. 3. uult, quod ex scholio cod. Rav. translatum est. τῆς χύτρας — οὐδεὶς γεύεται τῶν ἱερῶν Rav. et τῆς — χύτρας — οὐδεὶς τῶν ἱερείων γεύεται G plane idem est; in illo tantum enuntiatum relatiuum. in hoc participium coniunctum extat. h. l. habet Rav. ἱερῶν, Ven. ἱερέων. quarum lectionum ea, quam Ven. habet, probata sacerdotibus panspermiam attingere non licuisse, alios autem eam comedisse uulgo statuunt. sed nihil obstat, quominus ἱερῶν præferamus, præsertim cum in cod. Rav. non

post οὐδείς, sed post γεύεται extet (οὐδεὶς γεύεται τῶν ἱερῶν), et cum τῆς χύτρας coniungamus, quod e glossis breuioribus uerum esse apparet (τῆς δὲ χύτρας οὐδένα γεύσασθαι). cod. G ἱερείων habet, sed tenor rerum scriptorem id de sacerdotibus intellexisse ostendit. nam is, qui contrarium latens se perspicere credidit, ita rem interpretatus est, ut alii ac sacerdotes panspermiam ederent, quæ sententia illo auctore nititur. eodem modo, quod in τῇ ⟨ιγ΄⟩ ἡμέρᾳ numerum excidisse non uidit, sententiam eam elicuit, ut hoc interdiu, non noctu fieret, quod prorsus negligendum est. ad panspermiam consumendam retulit enuntiatum ultimum cod. Rav., quod fragmentum separatum est; quare ordine mutato, quod de tempore diei excogitauit, loco ultimo collocauit. παραγινομένους uitiosum esse non intellegens mire interpretatus est. quod glossis breuioribus collatis (περισωθέντας) nimirum emendandum est in περιγινομένους (Rohde, Psyche[2] I, 238 a. 2) uel περιγενομένους (Fritzsche, Mant. 48, ubi uerba Theopompi restituere infeliciter conatus est). itaque sequitur, ut omnia, quæ de his ritibus Chytrorum tradita sunt, e fragmentis Theopompi in scholio cod. Rav. ad Aristoph. Ran. 218 hausta sint.

De his copiosius disserui, ut constet non Bacchum, sed Mercurium. ducem manium, Chytris cultum esse et ut caueatur, ne quis credat panspermia Chytris cocta fecunditatem a diis petitam esse, ut Thargeliis et Pyanopsiis fiebat (p. 103). de his quidem Plutarchus ætiologicam narrat fabulam, e qua panspermiam iis feriis consumptam esse l. l. collegit Mannhardt (Thes. 22, e Labyrintho reduces μίαν χύτραν κοινὴν ἑψήσαντας συνεστιαθῆναι καὶ συγκαταφαγεῖν ἀλλήλοις; hoc, ut fieri solet, e ritibus sacris fictum est). Chytris autem panspermiam homines non gustauisse Theopompum tradere iam monstraui; causa nimirum ea erat, quod hæc panspermia erat inferiæ, quæ sacra homines non tangebant, cum cibus manium essent.

Mercurio quidem infero panspermiam oblatam esse uulgo credunt scholiis fisi, sed dubium non est, quin Voigt eam recte cibum manium esse dicat (lex. Roscheri I 1073), neque e fragmentis Theopompi eam deo oblatam esse concludere necesse est. Persæ quoque hoc ipso tempore anni manibus cibum offerebant (Lehmann, Zarathustra 81 sq). itaque panspermia Chytrorum eiusdem generis est atque inferiæ et libationes, quæ mortuis dabantur; hoc tantum interest, quod Chytris populus omnibus, præterea suorum quisque manibus sacrificabat; utrum inferiæ an sacra uocentur, nihil refert, quod inferiæ ipsæ cibus manium esse credebantur. sæpissime autem mortuis libationes effundebantur, rarius animalia sacrificabantur (Stengel in ench. Mülleri V, 3^2 128 sqq), sed olera quoque et fruges haud raro inferebantur, qui mos fortasse uetustior erat. hunc uidetur Cicero referre de leg. II, 63 [1]), quamquam eum male intellexit. porro in uasis funebribus pictis, quæ lecythi albæ uocantur, sacra in tumulo inferri uidemus, inter quæ placentæ et fructus agnosci possunt. sacrificia cibaria heroibus quoque dabantur, qui ut manes colebantur. iis, qui in pugna Platæensi ceciderant, Platæenses Thuc. III, 58, 4 se ferre dicunt, ὅσα τε ἡ γῆ ἡμῶν ἀνεδίδου ὡραῖα, πάντων ἀπαρχάς. et panes heroibus sacrificatos esse tradit Pausanias III, 23, 5, VI, 20, 2. Athenis manes Chytris colebantur eodem modo, quo bellatoribus Platæis cæsis aliisque mortuis δαῖτες ἔννομοι (Æsch. Choëph. 470) et δεῖπνα dabantur. mos, qui frustula tollere uetuit, quæ in epulis mensa decide-

[1]) *Cic. de leg. II, 63 Nam et Athenis iam ille mos a Cecrope, ut aiunt, permansit mortuum terra humandi, quam quum proximi iniecerant obductaque terra erat, frugibus obserebatur, ut sinus et gremium quasi matris mortuo tribueretur, solum autem frugibus expiatum ut uiuis redderetur. sequebantur epulæ, quas inibant propinqui coronati etc.*

bant, et Ἑκάτης δεῖπνα ex eadem opinione orta sunt (Voigt l. l.). denique in epulis funebribus fruges et olera, quibus Græci maxime uescebantur, multa fuisse par est, et iis frui manes credebantur.

Nominis Χύτροι, quod de ollis — χύτραι — ueteres accipiebant, hanc significationem primigeniam non esse, Mommsen Heort. p. 24 a. 1., fest. Ath. p. 402 sq. iure asseruit locos afferens, ubi χύτρος aliam significationem atque χύτρα habet; Herodotus VII, 176 et Pausanias IV, 35 5 hac uoce lacum fere siue piscinam (»bassin») significant; Theophr. Hist. plant. IV, 11, 8 alia uis est, quam ipse optime interpretatur βαθύσματα τῆς λίμνης (»hölj»). conferenda est uox ab hac deriuata χυτρῖνος, quam Hesychius s. u. explicat τὰ κοῖλα τῆς γῆς, δι' ὧν αἱ πηγαὶ ἀνίενται, et Peripl. mar. rubr. p 44 βάθυσμα ποταμοῦ ualet. si hoc stricte tenemus, Χύτροι festum lacuum est, quod mihi persuadere nequeo, nec Mommseno Heort. p. 24 credere possum, qui festum humoris uernalis esse putat. Fest. Ath. p. 403 nomen loci Χύτροι ad festum translatum esse putat, sed ne hoc quidem accipere possum, cum rima terræ, quam in Olympieo Paus. I, 18, 7 fuisse narrat, ad quam Mommsen nomen retulit, una tantum, neque χύτρος sit, et hoc festum ad alios tales χύτρους non pertineat. uis principalis uocis χύτρος ea est, ut quiduis, in quo aqua est, significet, itaque χύτρον initio uas aquarium significasse puto. in promptu enim est χύτρον = βάθυσμα λίμνης a χύτρῳ = urceo dictum esse, præsertim si aqua in utroque est [1]). haud dubitem, si exemplum antiquius cognouerim, in quo χύτρος hoc ualet. sic tamen iam Diphilus Ἐπικλ. frg 41 K uoce utitur (χύτρον μέγαν παρὰ τοῦ μαγείρου); uis, quam Hesychius l. l. uoci χυτρῖνος ascribit, eadem est, qua usi indigenæ fon-

[1]) Sic anglica uox »pot» et ollam et βάθυσμα ποταμοῦ significat; hic nemo dubitat, quin hæc significatio ab illa ducta sit.

tes Thermophylarum χύτρους uocabant, etiamsi Paus. l. l' (recte?) κολυμβήθραν (»simbassin») uertit. dignum est, quod animaduertatur, uocem deriuatam χυτρῖνος has duas significationes habere, quas secundarias esse suspicor, quod etiam suspicionem confirmare credo. in eandem sententiam Suidas adiumentum attribuit, qui s. u. χύτρον φιλήματος εἶδος esse dicit. ita enim hoc osculum dabatur, ut alter alterum auribus quasi ollam prehendens oscularetur. si ergo χύτρος uas aquarium significat, diei nomen a uasis, e quibus libationes manibus effundebantur, inditum est, ut postremus dies Eleusiniorum a uasis, quibus ad libandum mystæ utebantur, πλημοχόαι dictus est et ut Choes e uasis, e quibus feriantes potabant, nomen traxerunt. cum uox χύτρος ex usu quotidiano obsolesceret et in nomine sacro tantum seruaretur, non intellegebatur; quare res ferebat, ut ad uocem χύτρα referretur; quam ob rem ex ollis, in quibus panspermia afferebatur, diei nomen inditum esse uulgo credebant.

Hac significatione uoci Χύτροι uindicata confirmatur sententia uirorum doctorum, qui ritum, quæ hydrophoria uocatur, hoc die perfectum esse putant. (ex. c. Preller, Dem. et Pers. p. 229 ann., Rohde, Psyche[2] 1 238 a. 3.). nam hydrophoria ut panspermia cum diluuie connectitur, et libamenta aquatilia iis, qui diluuie perierunt, effundi dicuntur (Suidas s. u. (CXII). nouilunio Anthesterionis hydrophoriam actam esse, quod e Plut. Sulla 14 (CXIII) Corsini fast. att. p. 374 collegit, cum Mommseno Heort. p. 347 (Fest. Ath. p. 424 sq. inter Chytros et Diasia dubitat) nego non ut is, quod libri mss ἐν ᾧ exhibent, sed quia Plutarchus hic ut solet menses romanos, proinde quasi ut græci ad normam lunæ exacti essent, trac-

[1]) Quod Etym. magn. hydrophoriam ἑορτὴν uocat, non obstat, quominus cum Chytris coniungatur. ἀσκώλια quoque hoc nomine uocat Tzetzes ad Hes. op. u 366.

tauit. in commentariis Sullæ diem, ut eos Romani numerabant, indicatum inuenit i. e. Kalendas Martias, quibuscum accuratione omissa nouilunium uerum mensis atheniensis comparat. hoc ita esse certum fit eo, quod Martium non cum Elephebolione, ut ætate Sullæ ratio temporum recte agebatur, sed cum Anthesterione, ut rationem eius temporibus ductam esse supra exposui, comparat. quamobrem fieri potest, ut in quemuis pæne diem atheniensem Kalendæ Martiæ a. 86 a. Chr. n. inciderint. dies nullo negotio computari poterat, si fastos græcos et romanos accurate perspectos haberemus. Plutarchum non id præcipue commonere uoluisse credo Athenas mense quodam, in quo tristes ritus inerant, captas esse, sed omen ei dies esse uidebatur, quo Athenæ captæ sunt, quod ritibus tristibus maloque omine insignitus erat. hoc traditum inuenit et hoc commemorare uoluit; diem græcum sua ratione usus addidit. quare ἐν ᾗ uerum est, præsertim cum mensis, ut dies definiatur, tantum indicetur. enuntiato sequente hoc confirmatur, quod ita intellegendum est, ut hic dies (τότε) et tempus, quod circa eum erat, tempori diluuiei, quæ satis diuturna erat, maxime consentiat. causa etiam nulla est, cur ad hydrophoriam tantum eum spectare credamus; ad Chytros uniuersos referri potest; cum autem Philochorus l. l. multa in memoriam eorum, qui in diluuie periissent, facta esse narret, hoc uix siue de ollis manibus oblatis solis siue de hydrophoria sola, quorum uterque unus ritus est, accipi potest. multo aptius hoc dicitur, si ad hunc diem omnes referimus ritus, quos fabulis e diluuie petitis explicare ueteres student. neque hæc fabula in Attica tam frequens aut uetus erat, ut multos ritus cum ea coniunctos esse uerisimile sit. quæ de panspermia Chytrorum narrantur, cur ad homines e diluuie seruatos potissimum relata sint, nulla est causa, nisi hic cum aliis ritibus cohæret, qui

meliore ratione e diluuie orti esse dici poterant. aquam mortuis libatam esse iamiam scimus (libamentum tertium Od. χ 520, Æsch. Pers. 611; Paus VI, 20, 2 heroi Sosipoli aquam (λοῦτρα) elatam esse tradit, cf. Plut. Arist. 21) illas libationes Eleusiniorum, quibus πλημοχόαι nomen erat, etiam conferre licet, quas Preller Zeitschr. f. d. Alt. 1835 p. 1009 aquatiles esse uoluit. incertum hoc est, uersus autem, quos affert Athen. XI, p. 496 B ex Pirithoo, quæ fabula utrum Euripidis an Critiæ esset, ambigebatur, memorabiles sunt: ἵνα πλημοχόας τάσδ' εἰς χθόνιον χάσμ' εὐφήμως προχέωμεν. ad Eleusinia certo non spectant; quare πλημοχόαι libamenta solennia sunt, quæ h. l. in rimam effundentur nimirum ut inferiæ. in rimis enim et speluncis inferos habitare Græci credebant, ut de Amphiarao, Trophonio aliisque notum est. eodem modo libationes aquatiles hydrophoriæ in rimam, quæ in Olympieo erat, effusas esse uerisimile est loco Paus. I, 18, 7 (CXIV) collato. placentæ mellitæ, de quibus loquitur, inferiæ sunt, quales mortuis et serpentibus, quæ eos repræsentare credebantur, sæpe offerebantur. aquam in rimam effusam esse Pausanias l. l. non commemorat, sed hydrophoriam eam libationem fuisse uerisimile est, quod aquam non modo ferri, sed etiam ritu sacro effundi oportebat, et hæc rima ut hydrophoria cum diluuie connectitur, e quo inter se eas coniunctas esse apparet. uersus e Pirithoi fabula nuper allati similem quendam ritum commemorant; ex cærimonia hydrophoriæ fabulam ætiologicam, quæ aquas diluuiei per eam rimam delapsas esse fert, ortam esse naturæ rei consentaneum est. nam ritus sacros hoc modo explicare scriptores ueteres amauisse iamiam sæpius uidimus.

Testimonia

auctorum et lapidum.

De mense Lenæone.

Hesiodus op. et d. 504 sqq. (u. p. 1 sqq.) I

Μῆνα δὲ Ληναιῶνα, κάκ᾽ ἤματα, βουδόρα πάντα,
τοῦτον ἀλεύασθαι καὶ πηγάδας, αἵ τ᾽ ἐπὶ γαῖαν
πνεύσαντος Βορέαο δυσηλεγέες τελέθουσιν.

Scholium ad l. Procli (p. 15 sqq.) II

Μῆνα δὲ Ληναιῶνα· Πλούταρχος οὐδένα φησὶ μῆνα Ληναιῶνα καλεῖσθαι παρὰ Βοιωτοῖς· ὑποπτεύει δὲ ἢ τὸν Βουκάτιον αὐτὸν λέγειν, ὅς ἐστιν ἡλίου τὸν αἰγόκερων διιόντος καὶ τοῦ βουδόρα τῷ Βουκατίῳ συνάδοντος διὰ τὸ πλείστους ἐν αὐτῷ διαφθείρεσθαι βόας· ἢ τὸν Ἑρμαῖον, ὅς ἐστι μετὰ τὸν Βουκάτιον καὶ εἰς ταὐτὸν ἐρχόμενος τῷ Γαμηλιῶνι, καθ᾽ ὃν καὶ τὰ Λήναια παρ᾽ Ἀθηναίοις. Ἴωνες δὲ τοῦτον οὐδ᾽ ἄλλως, ἀλλὰ Ληναιῶνα καλοῦσι.

l. 1. οὐδὲ ἀφίησι mss: οὐδένα φησὶ Ruhnken. 2. βούκαιρον: Βουκάτιον Wyttenbach. 4. τὸν: τοῦ Boeckh. 4. βουκέρῳ: Βουκατίῳ Wyttenbach. 6. βούκαιον corr. Boeckh. 7. ὃ: ὃν Spalding.

Scholium ad l. l. hoc excipiens (p. 19 sqq.) III

Ἄλλως. Μῆνα δὲ Ληναιῶνα· ὄνομα μηνὸς κατὰ τοὺς Βοιωτούς· ἀναιρετικὸ δὲ οὗτός ἐστι τῶν βοῶν, ἐν ᾧ ἐξέθερον τοὺς βόας. Ληναὼν δὲ εἴρηται διὰ τὸ τοὺς οἴνους ἐν αὐτῷ εἰσκομίζεσθαι· οὗτος δὲ ὁ μὴν ἀρχὴ χειμῶνός ἐστιν. οἱ δὲ

Ληναιῶνα φάσκουσιν αὐτὸν καλεῖσθαι διὰ τὰ λήναια, ἃ ἐστιν ἔρια καὶ προβατοδόραν καὶ αἰγιοδόραν καλοῦμεν· ἢ ἐπειδὴ Διονύσῳ ἐποίουν ἑορτὴν τῷ μηνὶ τούτῳ. ἣν Ἀμβροσίαν ἐκάλουν.

l. 2. εἰς ὃν : ἐν ᾧ. 5. ὅ : ἅ.

IV Scholium ad l. l. Tzetzæ (p. 20 sqq.)

Μῆνα δὲ Ληναιῶνα· τὸν Χοιάκ, ἤγουν τὸν Ἰαννουάριον, ὃς Ληναιὼν παρ' Ἴωσι καλεῖται [ὅτι τὰ Πιθοίγια ἐν τούτῳ ἐγίνετο] ἢ ὅτι ἡ τῶν οἴνων συγκομιδὴ κατὰ τοῦτον ἐγίνετο, ἢ ὅτι τῷ τῶν ληνῶν αἰτίῳ Διονύσῳ ἑορτὴν τὴν λεγομένην Ἀμβροσίαν ἐτέλουν. ἢ παρὰ Ῥωμαίοις Βρουμάλια καλεῖται. Βρόμιος γὰρ παρ' αὐτοῖς ὁ Διόνυσος.

